Digitized by Google

I-B
32

7
1 L
24

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

M

[illegible]

78-5-33
78
B
33
7-1-B-32
Digitized by Google

CONTINUATIO
HISTORIÆ VENETÆ
JOANNIS BAPTISTÆ VERO CANONICI PATAVINI

Ab Anno 1669. uſque ad Annum 1692.

JOSEPHO ABB. SCARELLIO
PATAVINO AUCTORE.

PARS PRIMA,

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D. D.

JOANNI BADUARIO
Venetiarum Patriarchæ, &c.

Bibliothecæ D. Secr. Coll. Romi Soc Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII,
Ex Typographia Seminarii.
M. DC. XCVIII.
Opera Joannis Manetti.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILLUSTRISS.mo AC REVEREND.mo D.D.

JO. BADUARIO
VENETIARUM PATRIARCHÆ
MÆCENATI OPTIMO.

BIBLIOTECA ROMA

JOSEPH ABBAS SCARELLIUS PATAVINUS
S. P. D.

CUm ſummopere eniterer Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Præſul ad aliquam dicendi, ac ſcribendi partem pervenire, Joannem Baptiſtam Vero ſcriptis clarum, Cœlo

noſtro fata commodarunt, mibiq; ipſius familiaritate lucem, ac ſpiritum addiderunt; ut exinde exemplo accenſus; & graviſſimis verbis excitatus, quaſi venerabundus veſtigiis inſiſtere auſus ſim, juſtius ego illius contubernio gloriari potens, quam Achilles Chironis apud Euripidem.

Ità in publicum ſcripto egreſsus, poſteritati vacans, amicorum ſuaſionibus indulgens, Veneti nominis Majeſtatem, & ſplendorem ad exteras quoque gentes, ac mundi ultima, quantum fas eſt tenui ingenio, hiſtoria mea extendo.

Sed eam evulgaturus, cur tibi inſcriberem, non una cauſa fuit, ea præcipua ingenii, ac doctrinæ præſtantia, non minor bonarum literarum cultus, & eruditæ vetuſtatis eloquentia, de po-

ſterita-

ſteritate benemerendi ſtudium; ſumma item animi comitas, ignotis quoque obvia; collata denique in me ſumma beneficia, ut hiſtoria mea nomen tuum toto Orbe latura jam geſtiat; decuſque inde, ac patrocinium ambitiosè capiat.

Tibi hoc quidquid eſt operis dicatum volui, non ut conatus tibi meos, & erga Rempublicam (cujus tu magna pars ſis) teſtarer, ſed ut de his, quæ ſcripta conſpexeris, judicare, & tanquam res tibi dicatas excuſare quam benignè velis, quibus tanto teſtimonio admiſſis, haud dubio, quin per omnium manus animosè decurrant.

Vale igitur Præſul Illuſtriſſime, & Reverendiſſime, & quantum muneris tui ratio patitur fovere perge me,

qui longum vitæ, ac felicitatis curſum precor, ut tantum hominibus profis, & gloriæ addas nomini tuo, quantum tuæ ſingulares virtutes pollicentur. Iterum Vale.

LECTORI
BENEVOLO.

BIBL. ROMA

QUoniam ingentibus beneficiis, præter naturale Principi debitum, devinctus, bono poſteritatis futuro, ac genio indulgens hoc venerationis officium debere cognovi, quantum mihi vacavit à ſacro Eccleſiæ munere, totum id Reípublicæ faſtis impendi, ac dedita opera rectè vivendi præcepta rerum illuſtrium, magnorumque eventuum exemplis, & conſiliis veluti in bono lumine collocare nixus ſum.

Hinc opus tenuitatis meæ legendum tibi porrigo, amice Lector: In hoc tua ſingularis humanitas, qua Hiſtoriolæ primam partem reſpicere rogaris, ut mox ſecundam rogaberis, ſpem facit preces meas nequaquam irritas fore. Scio id opus majoribus animis, quam viribus inceptum, & productum eſſe, ac productum iri. Sed Hiſtoriæ utilitatem reſpicientibus rem non ingratam facturum me credidi, ſi veluti obducta temporis penetralia reſerarem, grandiaque prudentiæ exempla in lucem proferrem, & aliquando poſteritati tuæ æquè profutura cognoſcerem; Ut ſcilicet una opera optimæ ſenectutis pene fugientem memoriam ab oblivione vendicarem. Quod autem tibi porrigo, æqui, bonique facias, &, præter Hiſtoriam nihil aliud perpendere velis, rogo. Vale.

CON-

CONTINUATIONIS HISTORIÆ VENETÆ
INDEX
PARTIS PRIMÆ.

Octavi Belli origo in Turcas. 1.

1670. *Res poſt bellum ſeptimum geſtæ.* 4.

1684. *Joannes Capellius à Reipub. ſecretis Byzantium mittitur nuntiatum Bellum Turcis Menſe Julii.* 12.

Multiplices in Dalmatia Oppidorum aggreſſiones, & propugnationes. 13.

1684. *Leucadiæ Inſula, & ejuſdem nominis Urbs vulgo S. Maura intercipiuntur octavo Idus Auguſti.* 20.

1684. *Arcium Treveris, & Dragomeſtre in Acarnania Epiri interceptio ſecundo idus Septembris.* 26.

1684. *Venetorum eruptio in Turcas, undecimo Kalendas Octobris.* 27.

Multiplex in Dalmatia cum Turcis dimicatio: & armorum comparatio. 28.

1684 *Nicopolis, vulgo Præveſæ interceptio, tertio Kalendas Octobris.* 29.

1684. *Maritimi congreſſus cum Turcis, 4. Kalendas Novembris.* 30.

1684. *Mutuæ expeditiones in Hoſtem. Arx Vonizzæ intercipitur, 8. idus Octobris.* 32.

Auxilii Bellici comparatio. 33.

1685. *Expeditio in Peloponneſum prima, Corones expugnatio, 3. Idus Auguſti.* *ibid.*

1685. *Terreſtres ſucceſſus moderante arma Dalmatiæ Petro Valerio, 15. Kalendas Aprilis.* 48.

Ge-

Geſta in Peloponneſo poſt Coronem captum. 49.
Zarnatæ, & Abiæ deditio. 50.
Leuctrica Oppida, vulgo della Maina, Garenia vulgo Paſſavà, & Chielaphà intercipiuntur. 54.
1685. *Caſtrum Gomenizziarum Venetis ceditur. Claſſici Congreſſus; Novembris.* 56.
Militum conjuratio in Joſeph Mauroceni Nave repreſſa. 59.
1686. *Turcica expeditio in Venetos 3. Nonas Aprilis.* 60.
1686. *Pyli Caſtrum Venetis dimiſſum pridie Nonas Junii.* 61.
Novi Pyli, vulgo Navarini deditio, Junii. 63.
Methonis Civitas Venetis tradita. 67
Multiplex in mari cum Turcis dimicatio. 68.
1686. *Naupliæ expugnatio.* 69.
1686. *Caſtrum Scin obtentum 4. Kalendas Octobris.* 80.
Impar certamen cum Turcis. 83.
1686. *Tuppavaz Oppidum in Dalmatia captum. Morlacorum eruptio in Turcas.* 84.
Patrarum Neupacti, ac Corinthi interceptio. 85.
Caſtello-novum à Venetis in Dalmatia occupatum. 90.
1687. *Scin Oppidum in Dalmatia Turcica Obſidione liberatum.* 95.
1687. *Athenarum Civitas à Turcis deſerta.* 97.
Corinichi locus in Dalmatia à Turcis deſertus. 100.
1687. *Res in Piræo, hoc eſt Leone Portu geſtæ prope Athenas. In Dalmatia, & Byzantii, menſe Octobri.* 102.
1687. *Turcicæ excurſiones in Epiro, & cæteris locis compreſſæ, menſe Decembri.* 105.
Novi bellici ſucceſſus in Dalmatia. 107.
Res Athenis geſtæ. 109.
Byzantii geſta. ibid.
Franciſcus Maurocenus Belli Imperator demortuo Venetiarum Duci ſufficitur. 111.
Multiplex in Dalmatia cum Turcis dimicatio. 114.
1688. *Variæ viciſſitudines in Peloponneſi, & Corinthi ſtationibus.* 116.

1688. *Irrita Dernisti Oppidi aggreſſio 4. Idus Aprilis.* 117.
Variæ hinc inde expeditiones. 119.
Acta Bellica in Dalmatia. 123.
Irrita Euboeæ Obſidio. 126.
Trininii Slavis Knim Arcis in Dalmatia interceptio. 142.
1688. *Geſta in Nupliæ portu poſt irritam Euboeæ obſidionem.* 146.
Mauroceni in Patriam reditus. ibid.
Epidaurus Limera expugnatus. 153.
1690. *Aulonis interceptio 3. Idus Septembris.* 155.
1692. *Promiſcui bellorum ſucceſſus in Dalmatia, & Peloponneſo.* 158.
Dominici Mocenici Veneti Imperatoris delecti expeditio in Turcas. ibid.
Irrita Cydoniæ aggreſſio. 159.
In Dalmatia, & Livadia Turcici excurſus repreſſi. 160.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. F. Ambroſo Liſotti Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Continuatio Hiſtoriæ Venetæ, Jo. Baptiſtæ Vero, Joſepho Abb. Scarellio Auctore*, non v'eſſere cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Secretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Data li 21. Maggio 1697.

(*Aſcanio Giuſtinian II. Kav. Reff.*
(
(*Franceſco Cornaro Proc. Reff.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Adi 7. Novembre 1698.
Regiſtr. nel Mag. Eccel. degl'Eſsec. contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

Erra-

Pag.	lin.	Errata	Corrigenda
20	10	antiquis Teluris	(antiquis Teluris)
21	25	Tripoliſque	Tripoleiſque
34	4	uis	ſuis
36	6	Meſſaniaco	meſſeniaco
43	29	Leucadiæ Inſulæ	Leucadia Inſula
45	19	aeram	aerem
48	29	tutiori loco	In tutiorem locum
54	24	Piſamanum	Pizzamanum
81	10	idſpoſitis	diſpoſitis
113	22	liqito	libito
146	11	n	in

Digitized by Google

CONTINUATIO HISTORIÆ VENETÆ JO: BAPTISTÆ VERO.

JOSEPHO ABB. SCARELLIO AUCTORE.

PARS PRIMA.

BIBLIOTECA ...

Octavi Belli origo in Turcas.

BELLUM Turcicum ſeptimum, cum Veneta Rep. anno M.DC.XLV. inceptum, ad annum uſq; M.DC.LXIX. productum eſt; quatuor ſcilicet, & viginti annorum labor; cujus ſeries, ratioque ab Joanne Baptiſta Vero, ſub Rerum Venetarum titulo, codice eleganti, probataque methodo deſcripta, peragi adhuc videtur. Ejus pleriſque eventibus putabatur, niſi tradita Creta, ſpem, aut conditionem univerſæ pacis, cùm tàm infeſto hoſte nullam fore; reddi Othomanico illam Imperio Inſulam oportere. Tantæ ergo deliberationi Senatus aſſenſus eſt, ipſam cum adjacentibus concedens, littoralibus exceptis Arcibus ſibi aſſervatis; Ità Chriſtianæ Religionis bono, propriæ Patriæ utilitati prælato, totius Orbis Catholici pacem privato damno

præſcius comparavit. Attamen, etſi fœdere, cum Turcis auctoritate firmato (ut ne imago quidem rem probatam, conſtitutamque revocandi ulla foret, reſtituto populis commercio) Barbari omnia ubique latrociniis confinia Dalmatiæ, & Albaniæ infeſta terra, marique reddere: fugæ alios commiſſos, territoſque Reipublicæ ſubditos è propriis domibus ſubmotos inopinato perſequi, qui effuſa fuga ad ipſa uſque munita Caſtra terrorem inferrent: deditoſque alios, ac fidem fœderis implorantes, nova crudelitate, variis, impiiſque modis ad unum necare quindecim annorum ſpatio, nec pace ſervata, nec induciis, prò jure habuere. His coactus Senatus ſacris etiam fęderibus, cum aliis Principibus opportunè oblatis, confirmatus, Pacis vacuum nomen cum Turcis dirimere, Bello ſtrenuè indicendo, judicavit.

Id quidem, & ſic indixit, & fortius peregit, peragitque adhuc Turcicum Bellum Reſpublica, quod mihi jam exponendum aſſumo. At ego magnam hujus operis provinciam ſubiturus, non aliud, quam ipſius celeberrimi Joannis Baptiſtæ Vero mihi aditum moliens opus, animoſiorem me feciſſe, fateor, hoc eſt in Auguſtale Regum, & Reipublicæ monumenta irrumpere, indè ego Hiſtoriæ proſequendæ lumina accepi. Quis enim iſtius Scriptoris virtutem in medio diffuſam, adeo claram non videat æquè radios effundentem in ſingulos? At ſi non ingenium ipſius æmulari, ſatis mihi erit ad res geſtas exarandas veſtigiis inſiſtere. Ipſa porrò libri hujus inſtitutio, temporis exacti memoriam amplexura, & geſtæ narratione rei, vitam hominum, & Regnorum moderamina inſtitutura, haud alium vult Phoſphorum, quàm qui veterum Annalibus inſtructus, in vitæ, & amœnitatis flore ita ſapienter omnium

penè

penè actis antecellit, ut non ſolum, quod optimi Scriptoris, retinuiſſe, ſed novam exarandi methodum inveniſſe videatur. Hic candorem animi prorſus illæſum, æquabilem oculorum, ac vultus hilaritatem, ſuavitatem, humanitatemque verborum conſtantem ſemper, ac veram, hauſit cum lacte parentis, & quà bonarum artium frequentia, quà ingenii inſtitutione auxit. Tantum in actis, conſiliiſque prudentiæ, tantam rerum, tùm præteritarum, tùm futurarum cognitionem, & providentiam retinuit, quanta hucuſque uſu provectis, & longo ſtudio confectis contigit, aliunde eum hauſiſſe non arbitrandum, quam ab Romano humanæ vitæ theatro, ac totius fideli vetuſtatis Hiſtoria. Divinitus ferè enim hæc illi injecta mens fuit, ut priùs illam ævi præteriti ſpeculam aſcenderet, atque in exemplorum omnium proſcenium ſcripto, & calamo proluderet, quam Reipublicæ faſta illimi veritate ſcriptis ſuis committeret in exemplum, ac ſpectaculum Orbi terrarum. Maximè, qui ſibi commendari Principum Virorum Reipublicæ famam putabat ſua Hiſtoria duraturam. Iſte igitur Vir litteraturæ, & doctrinæ multiplicis, viginti circiter annos natus, Romam profectus eſt: cujus poſtea Carolus Cardinalis Barbarinus capaci ingenio adeò delectatus, animo innocenti, & re litteraria imbuto, ut à ſecretis exinde eum voluerit, omnium conſiliorum ſuorum penè conſcium, & participem. In itineribus quoque, legationibus, & Pontificio Conclavi, communi contubernio ſemper illius uſus, in quo munere ſic Verus navavit operam, ut non tàm alieni adjutor officii videretur, quàm inſignis in ſuo. Hic denique poſt quàm tanta cùm laude diù, multumque ſpectatum ſe in Urbe, magnis muneribus,

& officiis pręcipuè Protonotariatus Apoſtolici decoratum vidiſſet, legationem ad Melitenſes, ſuppetias Venetis impetraturus, fructuosè egiſſet, hominum frequentiam, conſpectumque curarum vitare poſtmodum, ac fugere decrevit. Tanta rei novitate Cardinalis perculſus, ejus diſceſſui fortiter reluctatus, tandem, licèt ægrè, annuit, ac dimiſit eum prò Benemeriti muneris, & ſervitutis gloria, Patavini Canonicatus dignitate donatum.

Maturiori ergo ejus ætati otium hic fuit litterarium: ejus autem otii varii labores; hos inter, cum ejus extremam jam manum Veneta Hiſtoria anno M.DC.LXXXIV. recepiſſet, quarto tunc typis demandata, longo ſenio confectus, non minus meritis, quàm fama clarus, octogenarius Patavii ceſſit è vita, cum cauſam tantummodò, & occaſionem inſtaurati belli cum Turcis Veneto nomini reſponſuri, ſummis, ut ipſe teſtatur, labiis delibaſſet.

Res poſt bellum ſeptimum geſta. *Anno M.DC.LXX.*

POſt bellum ergo Turcicum ſeptimum, cum nulla in Dalmatia (pace licet conſtituta, ſolutiſque conventibus) militaribus excurſibus daretur quies, imò potius metuendi eſſent majores armorum tumultus, dum percrebuerat ad Aulam Byzantii, Morlachos, qui belli tempore à Turcis ultrò defecerant, Villas, Pagoſque latè vaſtantes, ipſis locis à Venetis primo pugnæ tempore deſertis, & flamma deletis, ſeſe recepiſſe; Turcas verò ipſis locis niti potiri, tanquam ſpatiis excurſionibus utriuſque exercitus obnoxiis: Querimoniæ ab Oppidanis Dalmatiæ ferebantur, ea antiqua Reipublicæ locorum jura, ho-

hoſtilia appellantibus. Hæc igitur rerum perturbatio ad Mehemet Baſsà, qui paulò ante Boſniæ Præfecturam geſserat, defertur, quem finitimi, bona ſua repetere exoptantes, non tantum ab agendo cum Antonio Barbaro ad hoc à Senatu delecto, averterunt, quàm incitarunt in Venetos. Obronzum, & Dernum Oppida aggreſſi, menſe Novembri, ſine pugna ceperunt; deſerta à Morlachis fuiſse ferebatur, qui recenter ad habitandum convenerant, cum eſsent pauco numero, impedimentis, armiſque exuti, propter pacis conventa, nihil de aggreſſione cogitantes: eo factum eſt, ut bellum prius eruperit, quam provisi quicquam Veneti, conſtitutæ pacis vana fiducia decepti habuerint. Non idem eventus Scardonæ Oppido, quò triremibus, & aliquibus myoparonibus defenſo, ad hoc ab Antonio Barbaro, tàm toga, quàm ſago claro, miſſis, aggreſsores ingenti jactura in fugam compulſi, inter necatos relinquentes Iſuffum Bejum eorum Ducem, illius tumultus auctorem. Hæc à Boſſinenſibus rixarum ſuaſoribus prælata, eo altius falsò imbutum animum Regis occuparunt, ut miſso Haſachi, ſummæ ſibi neceſſitudinis viro, qui Boſniæ, Dalmatiæque loca ſcrutaretur, ulterius injungeret ſe de rerum ſtatu per literas velle certiorem fieri. Inità jam hyeme præcluſus videbatur curſus ad agendum, morte præſertim Mehemet Baſsæ. Attamen cupiens Achmet Viſirus, ut pax ab ipſo compoſita ulterius protraheretur, novum hoc inventum propoſuit: Morlachi extra loca à ſe præpedita abirent, ac Commiſsarii ad confinia mitterentur, quibus perficiendi res controverſas eſset arbitrium. Hujus rei propoſitum, nuntio ad Senatum perlato, à Patribus pleno animo acceptum; imperant Barbarò Duci Morlachos abigere ab his locis, quæ diſſidio eſsent

eſſent obnoxia: ac ineunte Verè Joannem Baptiſtam Nanium Equitem, ac D. Marci Procuratorem ad omnia ſumma natum Commiſſaria dignitate mittunt anno M.DC.LXXI. Turcæ verò hanc provinciam Mamut Baſſæ, qui, acta Budæ præfectura, Byzantii Caimacamum gerebat, demandarunt. Placidus hic erat, facilis, ac lenis animi vir, iis, quæ tunc in Dalmatia agebantur, ſatis, ſuperque imbutus, cujus opera maximam conſequi utilitatem ipſi Dalmatæ controverſiarum ſtimulatores non deſperabant. In his diſſidiis optimum viſum eſt, ut locus, dieſque dicerentur, in quibus Commiſſarii, magiſtratus, Pręfectique militum, & aliqui præterea nobilitatis principes convenirent, ac de tota Confinii ratione decernerent, & ſuæ cuique partes tribuerentur, quò omnes ſcirent, quæ jura ſibi contingerent. Commiſſarius igitur Venetus, & Baſsà, loca inter Jaderam, & Sibinicum ſub tentoriis ad colloquendum conſtituta unanimiter indicunt, ſub finem menſis Julii. Mamut Baſsà Muphthium Boſniæ, Teſtadar, Principem Provinciarum, ac totius militiæ numero omnes quinque millia ſecum duxerat. Nanium Albertus Magnus Jaderæ Prætor, Jo: Jacobus Farſetus Cliſſæ Præfectus, Bartholomæus Variſanus Grimaldus, & alii permulti comitati ſunt, duabus militum Turmis ſtipatum: ad littus acceſſere duæ Triremes, cum quatuor myoparonibus: ſpecies magis futuri certaminis, quam quæſitæ pacis.

Sexto Kalendas Auguſti Baſsæ tentoria primo Commiſſarios recipiunt, ubi omnes Divani Primores Turcæ tunc aderant. Venetum Commiſſarium eò honore proſecutus eſt Baſsà, quò Viſirus Reipublicæ Oratorem excipere conſueſcit. Re in Conſilio per horas agitata, nihil decerni viſum eſt, cum

non

non tantum de locis detentis diſquireretur, ſed de nova diſcriminis ratione videretur agendum. Quia ex quo à Ferat Agà Byzantii Aulæ Commiſſario poſt pacem anno M.D.LXXIII. conſtitutam confinibus, ad ejus nutum poſitis, Senatus Venetus minimè aſſenſus erat (licet poſtea confinia æquiora, atque juſtiora redacta fuiſſent anno M.D.LXXVI. Ferat ipſo Agà, & Jacobo Superantio Commiſſariis;) Jam annorum viciſſitudines, & continua Populorum demigratio ita cuncta turbaverat, ut ſeu finibus longo bello everſis, tabuliſque agrorum deperditis, vel locorum nominibus diverſitate linguarum confuſis, ac Incolarum relatis parum fidei habituris, non quid oculis conſpici, non conjecturis quid aſſequi, daretur. Turcæ igitur primis confinibus à Ferat Agà jam defixis ſtandum arbitrabantur, ſed varias contentiones hinc inde exortas nova tandem deliberatio extinxit; ſe ſcilicet ad loca cnnferendi, quæ Novigradum aſpiciunt, quæ Arx quamvis à Turcis occupata, & à Venetis repetita, expers erat diſcriminis. His adeò controverſiarum vires progerminabant, ut Venetus Commiſſarius ab omni congreſſu ſe diverſurum teſtaretur, Turcæ enim nimiam Mamut humanitatem arguentes, quod ſe nimis pateretur deſpici, confinia ad nutum impingi contendebant. Baſsà verò lenire animos, atque ſumma comitate modum in rebus curare, aſſerendo leges, non deſtitit, cum tandem mutuo officio his conditionibus res acta eſt; ut confinia Jaderæ Agri futura ipſa eſsent, quę ante bellum extiterant, juxta Ferat Agà, & Superantii conventa; Eodem ferè modo Sebenici Agro limites finiunt. Et ut ad Scardonam irent Baſsà ſe in Venetas Triremes recipi cupiebat, quò in loco eo honore à Veneto Commiſsario exceptus eſt, unde Reipubli-

cæ

cæ munificentia ſatis ſuperque comendaretur. Ibi Sancti Danielis Planitiem, in qua Baſsæ tentoria erant, Othomannico juri reſervari præoptabat, dicens ad ſe tunc Regis juſsa perveniſse reſtaurandi Vapolicæ Arcem in Rupe poſitam, jam à Venetis dirutam; & quamvis validis Veneti Commiſsarii rationibus cedere compelleretur, attamen ſuorum iram timebat, & tum pollicitationibus, tùm minis Nanium, duodecim militum millibus in Herzegovinæ Agro à Bejerbejo Greciæ detentis, circumventum, in ſuam ſententiam allicere, immò compellere conabatur. Imperterritus tamen Commiſsarii animus non minus juſtis rationibus, quàm propria virtute omnes barbaras artes illudebat; Interim coacto Commiſsario ad Sebenici lacum ire aquatum, ſuſpicio Baſsam cepit eum hoc commento detrectare conventum; nihilominus Nanius frequentius, ut id ageretur inſiſtebat, addens illam contentioſam limitum partem deſerendam, & alios Agros petendum, donec à Regibus, quibus omnia diſcrimina inoteſcerent, decernendi ratio haberetur. Cui diſsentiens Baſsà, in hoc convenit, ut ad Regis Aulam una Legati mitterentur; & continuò Iſai Agà à Mamut mittitur, à Nanio Daniel Difinicus Sebenici Civis, ut rerum agendarum ſeriem Joanni Capellio à ſecretis Reipublicæ aperiret, qui tunc prò munere Regem Othomannum ſequebatur propè Philippopolim venationi vacantem. Sed vix Legati diſceſserant, cum Mamut repentino ab æſtu obequitando contracto morbo, interiit. Cui ſtatim ſuffectus Cuſsain Baſsà, Regis magiſter equitum, qui Regiæ ſtirpi Amurat, & Hibrain, à qua manabat, innixus, magnas opes, & luxus comparaverat. Hic breviori feſtinato itinere ad Sibinicum appulſus Commiſsarium Venetum acciri curavit,

qui

qui reficiendis viribus à ſævo morbo incumbens, vix tunc convaluerat. Idibus igitur Octobris in Sancti Danielis planitiem Commiſſarii convenere, eorumque opera, peractis quidem mitius quam antea rebus, ſancitum tandem fuit: Tartarorum montes Sibinici juſtos, ac ineluctabiles limites fore. Planities tamen ipſa Sancti Danielis non parum diſſidii inter Commiſſarios fovebat, quia quamvis ſua jura, ac defixi tentorii ſuperſtitioſam poſſeſſionem Baſsà aſſereret, ejus revera præſtantia ad eam invadendam Turcas alliciebat. Tandem Nanius ſumma lenitate, ac in rebus temperamento, ut nec laxaret aliis nimis, nec arctum ſuis eſſe pateretur, rem hominum perpetuo de ſe expectationi reſponſuram his conventis firmavit. Quod ſemotis iis, quæ poſt annos M.D.LXXVI. populos concitaverant, confinia hic ea eſsent, quæ prius: alibi, quæ jam ab ipſis Commiſſariis firmata; dempto aliquorum nominum æquivoco.

Hinc per Tragurii fines tranſeuntes, ubi bellum res imperturbatas reliquerat facilius eos fines à Superantio deſcriptos, reviſerant; Tandem pervenere prope Spalatum, quò ſicut ante bellum parumper agrorum jus extra mœnia extendebat; nunc capta Cliſsa, ipſius fines, penes montes, tramite amœno diffundebantur. Nec de Cliſsa dubium fuit, cum nominatim in conſtituta pace ea reſervata Reipublicæ fuiſset, ejuſque armis, cum Saſo Oppido commutata. Denique quamvis Turcæ renuerent Salonæ, & Uragnizzæ poſſeſſionem Venetis cedere, tum propter loci fertilitatem, à qua omnis Cliſſæ victus pendebat, tum quia quædam Sultana, quę Ruſteni Baſsæ uxor fuerat, & cui ea loca dono pervenerant, meſchitam dotaverat (quod à Turcica di-

tione aboleri indignum facinus cenſebant) omninò tamen in rei navandæ cura incenſus ità ſe geſſit Commiſsarius Venetus, ut moram negotio adimeret, ac ſibi annuerent Turcæ, & undique confinia à montibus ad mare extenderentur; ab illo congreſſu re infecta ſe potius diſceſsurum, ferebat, quam pati poſset, confines populos novi tumultus cauſam eſse: idque proculdubio Turcis impendere videbatur, Scardonam habitantibus, inter Spalati, Cliſsæ, & Sacci Oppidi fauces poſitam. Hoc Nanii ſermone Cuſſain commotus cupiens firmius quam antea res componere, diſcriminumque motus inter Populos impoſterum demere, contemptis moleſtis finitimorum conſiliis, M. DC. LXXI. Nono Kalendas Novembris his conventis aſſenſus eſt, atque rem, Veneti Commiſſarii, & omnium Ducum conſenſu firmavit. Ultra Cliſſam, ſcilicet, nova conſtituerentur confinia: Animadverſionem, & ſupplicium, in eos, qui deliquerant, ipſis remitterent. Unicuique quoquo loco conſiſtere vellet, indulgendum, ac bona, quæ antea poſsederat, reddenda. Denique bina conceptæ concordiæ exempla hinc inde fuere dimiſſa, mutuis ſubſcriptionibus, & ſigillis obſignata. His itaque feliciter geſtis Joannes Baptiſta Nanius in Patriam reverſus, publicè, & privatim ſummo honore exceptus eſt, quòd ſcilicet in tanta provincia, quæ optimi, & ſapientis viri eſt, optimam Reipublicæ operam navaſſet, à qua haud dubiè eo tempore magni diſcriminis aleam avertiſſet.

Pace poſtmodum duodecim annos à Turcis perperam ſervata, ea tunc belli tempora ingruebant, ut Vienna Auſtriæ ab arctiſſima obſidione anno M. DC. LXXXIII. Menſe Julii liberaretur, qua, ne Italia, Venetorumque ditio tanta Barbarorum ingluvie

vie peſſum irent, prohibitum eſt; gliſcentibus interim per dies in Dalmatia, & Albania Turcarum excurſibus, cujuſcunque generis hoſtilia molientium, atque in eos Populos, quos Senatus in fidem receptos legitimo dominio ſervabat, palam ſævientium. Utrum ergo cum Othomannico Imperio pacem ſervare, an bellum indicere ad ulciſcendas injurias deberent, gravior cura Patres inceſſerat, adductis in medium cauſis, quæ ad utrunq; eos impellere potuiſſent. Eorum quidam, præſidiis per Oppida corroboratis, retundendos hoſtium impetus, & confinia ex tuto defendenda eſſe cenſebant: aliis, inſtructa Claſſe quantam maximam conficere Reſpublica poſſet, Belli fortunam cum teterrimo Hoſte ſubeundam, viſum.

Datis igitur ſuffragiis, ad ſacrum cum Leopoldo Cæſare, tanquam Regnorum Hungariæ, atque Boemiæ, & Archiducatus Auſtriæ domino: nec non cum Joanne Polonorum Rege III. deliberandum fœdus Senatus acceſſit. Interim univerſorum ſpe, quæ depoſita fermè jam erat, feliciter erecta, id decretum innotuit, ut Joannes Landus Patritius Vir prudentia, ac ſapientia clarus Romam Legatus mitteretur, per quem re ad Sanctiſſimum Pontificem Innocentium XI. relata, illud denique factum eſt, ut convocatis in Collegium Cardinalibus approbantibus cunctis, in has præcipuas leges fœdus ipſum percuſſum fuerit; Ut ſcilicet Cæſar in Hungaria: Joannes ad Podoliam & Ucraniam terreſtribus copiis bella gererent; Veneti verò in Dalmatia pugnarent in Hoſtem, Mari claſſico apparatu, urgerent. Cætera omnes arces, & Regiones, quas quiſque fœderatorum occuparet, penes priſtinos poſſeſſores manerent.

Jo. Capellius à Republica ſecretis Byzantium mittitur nuntiatum bellum Turcis Anno M. DC. LXXXIV. Menſe Junii.

OBfirmato fœdere inter Reges Pontificio diplomate, dum Veneta Reſpublica Claſsem maximam inſtruere, milites, equitatuſque à Germania, Dania, & Svecia concire, diligentiam, curamque negotio adhibere, ſtatuit, Byzantium mittit Joannem Capellium à Senatus ſecretis Hibraimo Turcarum Imperatori bellum indictum, ac nuntiatum, Venetos parare Claſsem, copiaſque ad offenſas tredecim annorum ſpatio ſublatas à Barbaris vindicandas, & ſe undique injuriis ſubactos ſævæ potentiæ jugo excuſso pro religione, ac libertate armis ulciſcendos. Capellius ſuſceptum legationis onus expleturus Byzantium proficiſcitur, antequam omnia bello ſtreperent, & percrebreſceret, Turcas, Barbaraſque Regiones peti, ut incolumis, acta provincia, evaderet. Vix appulſus ſibi rem eſse effinxit cum Kaimacamo Regię voluntatis ſequeſtro, à quo benignè exceptus omnia in ſcriptis exarata nuntiat, anno M.DC.LXIX. Menſe Septembri, Venetos ſcilicet contra leges gentium, ac fœderum ſanctiones de labefactata pace conqueri; cum ipſis Inſulis dominarentur Turcæ, in quas eis pervetuſtum, ac ſancitum anno M.DC.LXX. jus eſset; Quod in Mari Adriatico Oppida eſsent receptui predonibus, anniverſariis hoſtibus Reipublicæ, qui vagis, liberiſque bacchantes excurſibus univerſum ferme Greciæ, ac Dalmatiæ tractum exhaurirent. Quod non ſemel ingentem contra jus ſummam auri extorquerent, rei cau-

ſas

ſas eſse, ut & ulciſci injurias, & armis vindicare placeat, quæ pax impia fœdavit. Bellum igitur indicere, & cum conventis ſtare renuerint, ſcirent, haud quaquam Venetis cujuſvis rei conceſſione ſatisfacturos. Vix indictis armis, & talia fatus, Barbarum excandentem in iram conſpiciens Legatus dexterimè declinavit, omnibus, quæ eum Venetias reducerent, comparatis.

Statim Kaimacamus duobus jam ejus familiaribus, & ſex tabellariis in carcerem detruſis, lictores mittit, qui Capellium (non modicum maris tractum jam emenſum) in vincula conjicerent, ac Byzantium pertraherent, ratus, comprehenſo tam inſigni reo, & cæteris plus terroris, & potentiam Imperatoris, ac ſeveritatem Gentis clariorem apud Venetos, & apud Chriſtianos fore. Capellium, & ejus familiam in Gallici Oratoris Domo occultari Barbarus ſuſpicatus labefactari in eo dignitatem Imperatoriam clamitans, jurabat ubique aſsequi velle proditorem, ſed veritus irrito conatu arduam rem aggredi, à propoſito ceſsavit.

Interim incolumis familia Navem ingreſsa ubi ira maris deſævierat, profecta, nova veluti inſidiis orta procella, tantum non abſorpta fluctibus, paulò poſt Corcyram tenuit, inde Venetias.

Multiplices in Dalmatia Oppidorum aggreſſiones, & propugnationes.

VIenna Auſtriæ memorabili obſidione ſoluta, nova in Venetorum finibus Turcæ facinora concivere. Macaſchæ ſcilicet, & Primorgiæ Provinciæ Populi, tyrannici Turcarum imperii pridem pertæſi, tum juga excutere auſi anno M.DC.LXXXIII.

gli-

gliſcentibus adhuc in Cliſsæ Agro ſeditionibus, Reipublicæ Venetæ ſe ultrò dedidere, quos ſecuti Agrorum incolæ ferebantur, Jaderæ, Ucraniæ, aliorumque Dalmatiæ locorum, quæ poſtremo bello ſibi Reſpublica adjecerat.

Tantum hinc libertatis gaudium Dalmatis inceſſerat, ut anno M.DC.LXXXIV. Menſe Januarii, duo Morlachorum millia, Duce Martino Giaghmich, adverſus Turcas (quibus præerat Emin Alibegh) Macarſchæ Turris excubias agentes, arma corripuerint; at exorta inter Morlachos pugna, Emin ipſorum manibus elapſus, ſe, opeſque ſuas in tutum recepit, Turre noſtrorum direptionibus relicta.

Dalmatæ ſtatim mittunt ad Laurentium Donatum, Virum probum, atque prudentem (qui ab anno M.DC.LXXXII., uſq; ad annum M.DC.LXXXIV. magna populorum felicitate Imperatorium munus obierat) voluntaria deditione ſtudium ſuum illi offerentes: hoc tantum quæſitum, ut Venetias liceret, confirmationis privilegiorum cauſa, petere; quos tanta animi humanitate complexus eſt Imperator, ac munerum copia proſecutus (his cunctando quo firmiorem in dies eorum fidem probaret) ut ab Dominico Mocenico Senatorum præclariſſimo, qui in eo munere ſucceſſerat nuncio ob id Venetias miſſo, deſideriorum vota ſtatim Dalmatæ ſuſceperint, obtenta nitrati pulveris, pilorum, glandium, aliorumque armorum copia; Turris Comiti Paulo Cacich cura demandata.

Anno nati Chriſti M.DC.LXXXII. eodem ferè modo aſſidui Turcæ Duce Aſsan Begh Durach in prælium prodiere, ut loca, quæ ab Othomanno ad Venetos deſciverant, repoſcerent; Ex quibus ab Morlachis, qui in Turcas irruerant, centum viginti cæſos

fuiſ-

fuiſſe, cum eorum Duce, comperimus.

Xemonici Arx à Jadera ſeptem milliaribus diſtat, latæ planitiei undique Dominatur, vetuſtæ ſtructuræ muris ſepta à Veneriorum gente tunc poſseſsa, cùm à Sclavonis, ne ea Solimano cederet, defenſa. Anno M.D.LXXIII. regreſſis Byzantio Dalmatiam Jacobo Superantio Veneto Legato, & Ferat Boſniæ Baſsà, ut confinia cum Mecmet Turca decernerent, quia Xemonici Oppidum finem rebus morabatur, Reſpublica, quæ magni faciebat pacem, parvi fecit Xemonicum Turcis dimiſsum.

Anno M.DC.XLVII. Imperante Fuſculo Dalmatiæ, virtute Marci Antonii Piſani Equitum præfecti, Xemonici Oppidum expugnatum eſt, ac delctum, Halyo Sangiacho capto, & Brixiæ Venetorum in Arce diù ſervato, ubi ſenio confectus ſuos obiit dies. Tandem annò M. DC. LXXXII. Laurentius Donatus Dalmatiæ Præfectus, Turcas, qui illuc pervenere, ut Xemonicum reſtaurarent, & loca, quæ ab Othomanno deſciverant, repeterent, compreſſit, ac fugavit.

Duo Agyrunta, ſive Obroatia in Illirico ſita ſunt; primum parvum, & ſuperius dictum, ab inferiori tribus milliaribus diſtat, non Arce, nec Mœniis tutum; Secundum magnum Agyruntum muro ſeptum, & Arce tutum, peropportunum ad negotiationem Turcis. Anno M. D. XXXVIII. multo cruoris hauſto, ut Reipublicæ adjiceretur, mox tercentis equitibus Venetę legiones fugantur; quarum præfectus Ripa Veronenſis non tantum, quia juſſis non obtemperavit, ſed quia primus fugam arripuit, ab Imperatore in Imperatoriæ Triremis puppi capite plecti juſsus. Anno denique M. DC. LXXXIII. ſub Imperio Laurentii Donati defenſionem deſperantibus

tibus Turcis deſertum, illud in præſentiarum Veneti inhabitant.

Non aliter ſe geſſerat Piſanus Imperator militari adhuc virtute ſuperſtes in Xemonici, aliorumq; Oppidorum expugnatione anno M.DC.XLVII. cum poſt hæc ad aggreſſionem Nedini Dalmatię Oppidi; quondam hoſtium armamentaria, & horrea; feſtinavit Fuſculus, proſpero maximè Piſani fortunę pręſagio, qui ab incondita Barbarorum eruptione tercentorum quinquaginta equitum, & numero peditum circumventus, fugatis per invias rupes, ingreſſum ſuis patefecit. Caſtro, (anno M.DC.LXXI. ſtatutis confinium limitibus,) opera, & ſolertia Commiſſarii Nanii D. Marci Procuratoris ad hoc ab Senatu delecti, cum cæteris Arcibus ſibi à Republica præterito bello addictis (excepta Cliſſa, & Salone) Turcis tandem dimiſſo: ſed in annum M.DC.LXXXII. nova ducentorum Barbarorum ſtrage conſpecta; paventes Nedini habitatores extremum excidium; nocte ſilenti fugam occultant, vacuumque Caſtrum relinquunt Venetis igne crematum, ut de eorum ignavia hoc aſtu apud Regis Aulam conticeretur, ſcilicet, incendii illius Morlachos auctores criminando. At denique anno M.DC.LXXXII. Laurentio Donato imperante meditantibus Turcis locum Oppidi invadere, ab aliquibus ſubditorum Reipublicæ turmis loco inſidentibus præventis nullus fermè in provincia aut caſtris ponendis, aut incurſionibus aditus ſupererat.

Aurana verò, olim Sangiachi Turcæ ſedes, ſalubritate Cœli perfruens, à mari unico milliari diſtans (cui nomen non longe inde lacus præbet): Jam equites Templarii eam tenuere, circa annos M.DC.XLVII. à Piſano equeſtris militiæ Duce aggreſ-

greſſa, facta Novigradi, Tininii, Obroatii, ſive Agyrunti, & Nedini expugnatione, penè citius oppreſsa eſt, quam obſideretur: cum, expoſitis eminus tormentis, Oppidani metu conterriti, nocte intempeſta decedentes, quæ ferri poterant aſportando, Venetis ceſſere, Arce ab iiſdem Turcis ſtatim diruta, flammiſq; abſumpta. Anno tandem M.DC.LXXXIII. à Barbaris refecta, inſtaurandæ poſſeſſionis ſpe, ab Laurentio Donato parvò negotio expugnatur, & datur Morlachis ad habitandum.

Laurentius Donatus Dalmatiæ Præfectus, ſimiliter Arauzonam capere eſt meditatus Arcem in Jaderæ Agro, intelligens per ſe ſine externis auxiliis, ne primum quidem belli impetum eſſe laturam, quamvis vario rerum eventu, nunc Venetis, nunc Turcis paruiſſet: anno poſtea M.DC.LXXXII. à Morlachis populata, igneque cremata, circa annum M.DC.LXXXIII. ad Venetos rediit, Præfecto Petro Valerio.

Corincium Caſtrum, vulgo Carin, termino Buccovizzæ montium appoſitum, anno M.DC.XLVII. captum à Poſſidaria Gubernatore, atque Reipublicæ juri addictum, juſſis, & mandato Piſani equitum ductoris; Turcis propter pacis conventa anno M.DC.LXIX., cum pluribus Arcibus remiſſum, ab his tandem (oppidanorum Othomannicum Imperium detrectantium lætitia) M. DC.LXXXII. deſertum.

Scardonæ Arcem, quam à Comitiſsa Maladina dono Reſpublica anno M.CCC.LII. acceperat, à Turcis defendere par erat. At Piſanus, qui rebus incumbebat, maluit eam diruere, quam à Barbaris ægre defendere. Turcæ verò excitatis iterum munimentis huc remeaverant, cum Fuſculus Dal-

matiæ Præfectus Nonis Maji anno M.DC.XLVII. ad Oppidum accedens, militibuſque in terram expoſitis, minimè equitatum Turcarum veritus, (quem ad exſcenſum impediendum occurſurum rebatur,) proſperis aliquot præliis Turcas fugavit; Arce cum quatuor ingentibus tormentis potitus, imperat eam tandem repente una cum Arauzona, vulgo Oſtrovizza igne cremari, molendinorumque machinas everti, ac dirui. Anno M.DC. LXXXIII. Menſe Novembri Imperante Dalmatiæ Donato, Morlachi ſtrictis denuo enſibus in hoſtes furunt, nec prius finis cædibus datus, quam iterum Scardonæ, (expulſis Turcis) jugum impoſitum. Poſt hæc præmunita à Valerio Dalmatiæ Præfecto Arx, ut agger in hoſtes, ac munimentum eſset. Diſtat hæc novem milliaribus à Sebenico, olim potens in Dalmatia Urbs, Divi Hieronymi Patria.

Leonardus Fuſculus, anno M.DC.XLVII., à Senatu, Dalmatiæ Præfectura inſignitus, ut Turcarum impreſſiones coerceret, Duare Oppidum, præeunte Paulo Caotorta ſuo Duce, Militari virtute claro, obtinuerat; quod paulo poſt Turcæ numero decem millium, viribus validiores ſibi denuo in ſervitutem aſſeruere, univerſo Præſidio interempto; Mox ad Venetos rediit anno M.DC.LII. Hieronymo Foſcareno Imperatore, Paguntio, vulgo Almiſsę Urbi, in Illyrio, conterminum, Dalmatiæque ſecuritatem promittens. Ut vero omnis latebra Turcis obſtrueretur, ipſum Oppidum noſtri diruere, impares ad communiendum juſto præſidio. Sciaùs verò Turca, ad comprimendas Morlachorum excurſiones, vix ipſum ab imo excitat, ac munit, cum munere privatus perficiendum opus ſuffecto Faslì reliquit. Anno tandem M.DC.LXXXIV.

duo-

duodecimo Kalendas Maji, pauló antequam è Dalmatia diſcederet Imperator Laurentius Donatus prudentiſſimus Vir optimo munere functus, in Oppidum admotis ſcalis, per intempeſtam noctem, à Venetis fit aſcenſus, ac intus irrumpitur, fugatis præſidiariis Turcis, & tandem ab ipſis Oppidum expugnatum præſidio communitur.

Rhizinii, nunc Rizanii Oppidi vindex, non minore impetu, inclaruit Laurentius Donatus; Quod, anno M. D. XXXVIII. à Venetis captum, anno ſequenti Turcis remiſsum eſt; Annoq; M. DC. XLIX. Imperatore Fuſculo, (ut eſset adverſus Turcarum excurſus propugnaculum) accitis Peraſti, & Paſtrovichi populis, undecimo obſidionis die obtentum, Ducibus tantum cum armis dimiſſis, in ipſoque conflictu Duce Cruta interempto. Denuo in confinium conventionibus poſt Creticum bellum Turcis conceſsum: Veneto demum juri anno M. DC. LXXXIV. Donatus ipſe reſtituit.

Anno vero M. DC. XLVII. Imperator Fuſculus cum Joanne Franciſco Georgio equitum ductore, & Comite Ferdinando Scotto, ſeptem peditum millia ducentibus, ac equites octingentos cum Morlachis, per Agros cuncta excurſibus igne, ferroque ibat depopulatum. Rei metu, Dernis Oppidi præſidiarii conterriti, in fugam ita prolapſi ſunt, ut nullo negotio Oppidum à noſtris fuerit occupatum, aſportatis tormentis, raptiſque prædis, quod exinanitum continuo exarſit incendio; Tunc accurrentem Baſsam auxilia ſuis laturum Scottus repreſſit. Non multo poſt illùc ſe Barbari recepere, ſed tandem anno M. DC. LXXXIV. Imperatore Laurentio Donato, locum deſeruere.

At, ut Dalmatiæ ad Arente, ſeu Narentæ fluvium

Petrus Valerius Imperator anno M. DC. LXXXV. firmiori munimento conſuleret, Arcem, nomine Opus, in eo loco conſtituit, ac erexit, duo milliaria à Norini Turre diſtantem, in cujus cuſtodia tum Norini, & Citluch ſalus verteretur: (hæc Arx aſpero jugo impoſita, viginti quatuor tormentis munita lato ſuburbio imminet): tum ad Herzegovinæ Oppidum iter aperitur.

Oppidum denique Nojàc in Cliſſæ finibus ad dexteram fluminis Zetinæ antiquis Teluris, ſeu Neſti, Menſe Octobris anno M. DC. LXXXV. à Petro Valerio Imperatore Turcis ereptum, illicò ſolo æquatur.

Leucadiæ Inſula, & ejuſdem nominis Urbs, vulgo Santa Maura, intercipiuntur octavo Idus Auguſti M. DC. LXXXIV.

VEneta Reſpub. haud minus virium robore, quam inſigni pietatis impulſu ſacro fęderi adhæſerat ab Innoc. XI. Sanctiſſimo Pontifice inter invictiſſimum Leopoldum Cæſarem, & Joannem III. bellicoſiſſimum Sarmatiæ Regem ſancito, quinquennium duraturo, quo communi conſilio in communem hoſtem, & validiores claſſes inſtruerentur, quibus Chriſti fides, & Religionis libertas pro cujuſque viribus latius vindicata non ultra Turcarum irruptiones, Barbaraſque Othomannicæ Potentiæ ſtrages pertimeſceret. Momento rebus omnibus, quæ ad augendam, curandamque maritimam Claſſem ſufficerent, delectis, ex omnibus Orbis nationibus viris, ducibuſque experientia, & conſilio rei peragendæ appoſitis, intenſius, quam antea, proviſum fuit. Franciſcum igitur

tur Maurocenum extra ordinem Divi Marci Procuratorem, & Equitem, non bellicæ modo rei, ſed civilium quoque jurium prudentem, ad cujus nutum, & imperium Veneta arma regerentur, Senatus delegit, ſummi Ducis in re navali titulo. Vir hic tanti nominis in re bellica, & ſpectatæ virtutis gloria fuit: ut ad evulgatam inſtitutæ Claſſis, delectique Ducis famam, Othomanni ejus incurſus reformidarint.

Contractis Corcyræ undique Venetorum viribus, cum Auxiliaribus, maturo habito conſilio, Leucadiæ Arcis expugnationem aggredi inſtituit, (quam ſibi uſque ab anno M.DC.LVIII. propoſuerat,) & cui nunc Inſulæ ab Chriſtiano in ea Templo S. Mauræ eſt nomen. Hæc duabus ex partibus mari alluitur, à cæteris arenariæ Syrtes protenſæ, adeo ut ſit aditus ad ipſam propter limi, vadorumque impedimentum difficillimus: Greciæ Acarnaniæ ferè adjacet, & ei ponte injuncta inter Corcyram, & Cephaleniam. Hanc Benedictus Piſaurus rerum maritimarum Imperator anno M.D.II. gloria notiſſimus, qui Bajazethi audaciam, ſuperbiamque fregit, ipſi in conſtituta pace remiſit. Hinc multo jam tempore infeſti Piratæ arguebantur, ipſam Arcem, in quam infami hoſpitio ſe recipiebant, Turcis, Tripoliſque Chriſtianas Naves inſectantibus refugium tutiſſimum feciſſe, velificationem maris, Venetos ſubditos, Eccleſiaſticæ ditionis, & Neapolis littora, maritimamque oram cædibus, ac rapinis aſſiduè deterruiſse: adeo ut ipſam in eorum manibus diù morari, ob diram perfidiam tanta publicæ quietis, ac ſubditorum finitimæ poteſtatis jactura, indignum videretur. Ad hanc Arcis oppugnationem Maurocenus paratis vigilantia, ſtudio, ac ſollicitudine unDequa-

deque aque rebus, navium aſcenſum inſtituit, ut operæ gerendæ tutior, ac promptior eſſet. Peractis de more Deo votis, ut cuncta proſpero eventu evenirent, ab Marco Antonio Barbadico Civitatis Antiſtite (nunc inter Purpuratos Patres ob ſumma merita cooptato) Pontificia benedictione reatuum plenariam remiſſionem donante eminus percepta, inde felicitatem, & proſpera cunctis ominantibus, expedita anchoris Claſſe in altum proras convertit.

Biduum mare emenſus, decimo tertio Kalendas Auguſti, in Leucadiæ conſpectum, hoc eſt ad Demate portum anchoras fixit, & cum ad Inſulam acceſſiſſet, quà ortum aſpicit, conſedit: duabus militum turmis deſcendere juſſis ambitum Arcis ſpeculatum, quas Mauroceno comitari placuit, ut, qua parte inſtituenda eſſet obſidio, erecta vigilantia deligeret. Poſtero deinde die majori numero militibus expoſitis, Venetis; auxiliaribuſque interjectis, mixtim propiùs ſe ad oppidum per continentem inſinuat; idem aliæ Cohortes ex altera parte Inſulæ exequi ſunt juſſæ. Tali circumquaque ſepta ordine, atque Agmine ſex millium, & ducentorum, peditum, centumque viginti equitum, Arx, adjectis, quæ oppugnationi uſui eſſent: Decimo Kalendas Auguſti, cum ad mœnia tota Claſſis propiùs acceſſiſſet, Maurocenus miſſo fęciali ad obſeſſos Caſtri deditionem imperavit: tùm illi militum mille, & quingentorum numero, delectaque manu latè ſuffulti, tormentorum abundantia, commeatuum copia, & omnis rei bellicæ, ac proximi auxilii à continenti illuc comportandi ſpe confirmati, reddere ſe nolle, imò Arcem defenſuros ad extremum uſque anhelitum eſſe ſuperbo animo reſpondere: Igitur felici omine in contumax Oppidum adhibentur vires,

res, omni vi aggredi ipſum Maurocenus inſtat, conantes Veneti loci anguſtias, ac lacunarum impedimentum opere ſupplere, ut aggreſſionibus, atque agendis aggeribus æquius conſiſterent; cum per quatuor, & decem dies aſſiduè in opere verſantes, lignorum faſces, terramque ad foveæ crepidinem contra obſeſſorum jactus, & moleſtias injeciſſent, ut ſe tutarentur, in conſtructas munitiones, non ſine damno, (cum ob ingentem ignem ab Arce proſilientem, tum ob obſeſſorum ictus in eos converſos) tormenta attraxere. Turcæ evocatas à continenti aliquot peditum, equitumque turmas prope Præveſam, (antiquis Nicopolin), in conſpectum ponunt, ut metum inferant, eas adoriuntur Veneti audaciſſimè, &, ut primo ſtatim concurſu arma extrahunt, illæ ſe in fugam vertunt, at verò ut longius diſtrahantur juſſæ ſunt Triremes, circum Nicopolis Oppidum excurſiones agere, ut metu perterritæ ne dare ſe quidem in noſtrorum conſpectum denuo audeant. Quare biduum tormentis ex Aggeribus muros diverberantibus Arx appetebatur, ac tanta à noſtris miſſilium pilarum fuit è mortariis ejecta grando, ut mœniorum Arcis, dirutis intro domibus, pars magna ictibus disjecta prociderit, adeò ut ab illo muri hiatu obſeſſi maximam trepidationem contraxerint.

Octavo Idus Auguſti ſummo mane foſſa Veneti potiti, eam humo refertam exæquarunt, producta opera ab obſeſſis introrſum, ut ſe tutius communirent, & inde pugnare, anteriore muro dejecto, poſſent, tormentis concuſsa, diruere. Caſtrum paratus aggredi Maurocenus, cædibus parcere, ac milites noſtros ad majora reſervari opportunum fore exiſtimavit, donec per ſecundas collocutiones ad deditio-

tionem obſeſſos evocaret; quibus indicebatur non eſſe obſiſtendum Venetorum potentiæ, neque cunctandum dubiis utrum actutùm victoribus cedere oporteret: foveàm jam oppletam, muros ictibus latè apertos patentem aditum ingruentibus in Oppidum præbere, profundè in imo propugnaculi cuniculos foſſos, ductus nitrato pulvere refertos eſſe, aliiſque in locis inſtituendos, & cuncta infeſta periculo, admoto igne arbitrio in ſublime projiciendi, & incendendi: A' ſuis fruſtra ſperarent, Baſsam enim Delvin, & Trielà parvi momenti auxilium ſecum agendo ſtatim, ac in conſpectum Nicopolis perveniſset, nec unicam exploſionem ſuſtinendo ſe in fugam vertiſse, ac in tutum ſe recepiſse. Attamen quamquam, & nullæ amplius intus, foriſque vires prævalido noſtrorum robori pares extarent, actumque de illis jam eſſet, ſi illa die arcem dedidiſsent, & ſe Victoris pedibus advolviſſent, ſe erga eos miſeratione uſurum, cujus clementiam experiri, quam ipſe oſtentabat, non dubitarent; uterentur ergo fortunæ beneficio, neque omitterent tempus tàm opportunè ab ejus pietate oblatum; putarent eo implacabilem Victorem habituros, quò majora pertinaciæ ſigna dediſsent, conteſtari, amplius ipſis miſericordiam non eſse futuram, ſi plus æquo ſpem protraherent: Pietas enim contempta in furorem convertitur: ſcirent ergo, nihil in ſe hoſtile prætermittendum, ſibique ipſis imputandum, ſi, nullo ætatis, aut ſexus diſcrimine ſuis omnibus variè necatis, ſuum genus deleri paterentur. Hi autem, cùm in dies abſumi ſe cernerent, armaque, alimenta, & ſpes auxilii defeciſsent, nec alia ſalutis via, quam Arcem tradendi honeſtis conditionibus videretur, antequam ipſa vi in ultimi caſus periculum eſset reddenda:

ce-

cedere virtuti; animoque victorum decernunt. Obſides igitur de Arce reddenda, & de pactionibus acturos mittunt, quæ his conditionibus recepta eſt: ut omne præſidium, ſingulis veſtimentis, armiſque ſuis accinctis, incolume Oppido egrederetur. Interim ſexto Idus Auguſti, ea, quæ ex pactis præſtanda; optimâ fide patrata fuere; ſexcenti numero milites ſtrenui loco exiere, Ponti excurſionibus mirè aſſueti: Puberes cum fœminis octingenti. Linquere igitur dirutum Oppidum, quod per murorum hiatus ovante exercitu noſtri ingreſſi ſunt, in ſummo Propugnaculi, Divi Marci Patroni vexillum extollitur, eoque Maurocenus ipſe triumphans ſe confert, cui Laurentium Venerium extra ordinem curatorem, ordinarium verò Philippum Mariam Parutam, & ad armorum adminiſtrationem Ludovicum Gratianum, cum mille peditibus præſidio, deſtinavit; Tunc miſſo nuntio Jo: Aloyſio Magnanino Chiliarca Venetias, inopina gaudia attulit Senatui. Hanc Arcem conſequitur tota ipſa Leucadiæ Inſula, vulgo Leſcada, quæ ſeptuaginta millibus paſſuum ambitur; terra rerum ferax, & populorum copioſa, cum aliquibus aliis Inſulis publico juri addictis. Octoginta murorum tormenta, circiter, omnia ænea in Arce fuere, commeatibus, omnibuſque rebus apprime ornatiſſima; centum, & triginta ſeptem mancipia fuiſſe, fertur, cæſorumque ipſis diebus numerum noſtrorum ducentos non exceſſiſſe, inter quos, Galiardi, & Bennonus Machinarum præfectus, ſunt qui Jovium, Furietumq; centurionem inter centum ſauciatos connumerant. Inter tot ſtrenuos Duces claruit, qua ſolebat in omnibus præliis virtute, in hac obſidione Co: Franciſcus Silvaticus Patavinus, ſupremus ordinum du-

ctor: quem & effuſa totius Populi gratia, gravitas, prudentiaque, & in rebus obeundis dexteritas ubique pares commendant, cui ex oneris mandato, & in Cretæ defenſione, præſentique Dalmatiæ diſcrimine, animum, & conſilium non defuiſſe compertum eſt, ut periclitari potius, quam ſuorum, & præcipuè Reipublicæ ſaluti deeſſe, maluerit; res non tantum fidei habitura apud poſteros, quam famæ; Tandem immaturæ mortis caſu, ab indefeſsa vigilantia, & demandati muneris cura contracta infirmitate, extremum obiit diem, non ſine maximo totius exercitus, Patriæ, & Reipublicæ fletu. Ob cujus glorioſa geſta ſapienter Senatus poſteros familię munerum præmiis ita affecit, ut erga ipſum Comitem Franciſcum de Republica optimè meritum facere optaviſſet.

Arcium Treveris, & Dragomeſtre in Acarnania, Epiri interceptio anno M.DC.LXXXIV. ſecundo Idus Septembris.

SEdatis inter Melitenſes, & Hetruſcos diſcriminibus, opera, & vigilantia Mauroceni Imperatoris, iter tota Claſse auſpicato is feſtinavit ad Crithotę, ſeu Candelarum Portum, (id loco nunc eſt nomen, quo appulere), ibique militibus expoſitis Incolas Grajos ad capienda pro Republica arma ſolicitabat. Ubi, amne rapido excurſu ultra progredi vetante, quidam audaciſſimus miles ſponte in flumen deſiliens ad averſam partem tranavit, in qua ſibi objectum Turcam acri certamine interfecit, ac obtruncavit, enſiſque cuſpidi caput infixum ſuis expoſuit, innuens quà parte fluminis tuto tranare poſſent, cui ob egregium facinus collaudato, dono addidit

didit Maurocenus torquem auream. Ideo militibus intrepidè illac trajectis fit obviam Turcarum acies, quorum octoginta neci dantur, centum in compedibus detenti, cæteri in fugam conjiciuntur, Treveris, & Dragomeſtre (priſcis Oeniade) Caſtra vacua præſidio relinquentes, quæ ſtatim Veneti, conterminoſque Agros direptionibus, igne, ferroque populati ſunt. Hinc tanta hujus rei trepidatio inceſserat Populos longè remotos, ut, ne opprimerentur, veriti, Reipublicæ fidei, ac imperio ſeſe ſubmiſerint. Ita empta parvo ſanguine victoria, ſpes melioris fortunæ illuxit.

At, ne cunctando noſtri tempora dilatandi Imperium producerent, & alias ſibi rei benè gerendæ occaſiones diſtuliſse viderentur, nullo inſidiarum metu, omnes Caliciæ, Angeli Caſtri, Stivoriæ, Cathochi, & Gnochori Pagos in Acarnania, hodie Carnia, teſte Nigro, magni nominis Geographo; cum pluribus aliis, ferro, igneque devotos publico juri addiderunt.

Venetorum Eruptio in Turcas undecimo Kal. Octobris M. DC. LXXXIV.

ANtequam ad ulteriora facinora, & præcipuè ad Nicopolis, hodie Præveſæ, interceptionem manum admoveret Maurocenus, ut inaudivit non longè Turcas numero VIII. mil. à Methonis Sangiacho deductos, omni feſtinatione Pannoniam petere, illuc non modicam ſuorum manum mittit; adjectis mille auxiliariis: à quibus Turcas inopinatò comprehenſos terror tantus occupavit, ut ad duas horas undique certando, in aggreſsorum arma incurrerent. Huic præclaro facinori felix illuxit even-

tus: à paucis plurimi victi ſunt, capta impedimenta, hoſtium multi ſauciati, non pauci in vinculis conjecti, cæteri fugati. Inde repentino incurſu omnia devota flammis Oppida, & circumquaque agros populatus, multoque potens equitatu, ſuis incurſibus totam Provinciam Imperator exterruit.

Ex his proſperè geſtis Alexander Molinus Navium Præfectus, per id tempus rei Navali aſſidua dura incumbens, occaſiones ſcrutabatur, ut aliquo certamine inſigniretur, & hoſtes opprimeret: Itaque Samo, ſeu Dardania profectus, ducentis catenas injecit, illa Inſula refractaria effecta, inde Volluni, alias Pagaſe, trajiciens, ratus Turcicam Claſſem ibi degentem ſupprimere poſſe, ſic eam obſedit in portu, ut ipſi neceſſe fuerit mittere Cretam auxilia petitum.

Non minus Haiduci, & Zetinæ Populi quadringentos Turcas, ne auxilia Caſtello-novo inferrent, repreſſerunt, ex illis interfectis centum, totidemque mancipiis effectis. In hoc Caſtro quandam Chriſtiani ritus mulierculam mancipium ſulphureo pulveri ignem admoventem, Turcæ abſciſis manibus, & pedibus, Canibus devorandam inhumanè objiciunt.

Multiplex in Dalmatia cum Turcis dimicatio: & armorum comparatio.

FElix Leucadiæ auſpiciis Antonius Zenus armorum moderator in Dalmatia; cui animo mirè hærebant ea, quæ tùm ſocia arma, tùm Maurocenus Turcis inferebant, milites ſuos in ſubjectos hoſtes agebat; (ut Caſtello-novi incolis terrorem incuteret;) qui quingentos Turcas ſibi objectos, fu-

ga,

ga, cæde, & captivitate compreſſerunt. Non minora mala illis attulere Morlachi, dum obſtruunt aditus ad Knin Oppidum, quò quadringentos Turcas properare ſciebant; igitur ex abdito loco proſilientes, incautos debellant, multis necatis, aliis in vincula conjectis, cæteris fugatis. Interim proſpero licet bello, quod undique gliſcebat his annis, tamen difficillimo, atque periculoſo, omnis cura Senatus verſabatur ad illud ſuſtinendum; ideò frequentes erant militum delectus, ſolliciti armorum apparatus, non tantum ad jura imperii augenda, quàm ad tuendos ab immani Turca Populos, qui profuſis ſumptibus Reipublicæ reſpondebant, inter quos Bergomenſis Epiſcopus Juſtinianus, rara liberalitate ſcutis aureis mille erogatis, exemplum attulit cæteris, ut nomen, & famam in Patria æquè ſibi compararent.

Nicopolis, vulgò Præveſa interceptio tertio Kal. Octobris M. DC. LXXXIV.

Fugatis tota Leucadiæ Inſula Piratis edoctis quantum polleret Reſpublica, reſtituta mancipiis libertate, ac Populis commercio: in Nicopolim arma convertit Imperator, ut eam Arcem, quam ſibi opportunam conſpexit ad Leucadiæ poſſeſſionem firmandam, quaque tutiorem aditum ad reliqua facinora aperiret, non intentatam relinqueret. Ambracii ſinus municipium, nomine Nicopolis, Præveſa hodie appellatur. Hæc Arx parvo ſinui adjacet, qui in aquas Leucadiæ influit, cujus undas duo Dardanellæ non modicæ fortitudinis, hinc inde cuſtodiunt, ingenti foſſa circumducta, muris, prominentibuſque propugnaculis adeo confirmata, ut à

qua-

quavis prævalidi exercitus vi defendi ipſa poſse videatur. Anno M.D.XXXIX. Marcus Grimanus Patriarca Aquilejenſis, Pontificiæ Claſſis Præfectus, Pauli Juſtiniani virtute propè captum, omninò expugnaſset, niſi diffuſus in vicinia rumor Nicopoleę expugnationis, finitimos Turcas ad opem conciviſset; Quare ille magno peditum, equitatuſque agminę aggreſsus, obſidionem ſolvere cogitur; tùm Alexander à Ternis Peditum Dux, quamvis ſauciatus (ad inſtar magni illius Coclitis Romanorum) eo hoſtem ſuſtinuit, donec impedimenta, tormenta, atq; milites in Naves reciperentur, non mediocri hoſtium ſtrage. Grimanus Imperator Andreæ Auriæ, tunc Cæſarianarum virium moderatoris, Claſse ſuffultus, Turcam navali poſtmodum pugna delendum opinabatur, ut acceptam in continenti labem, navali certamine obliteraret. Oppidum itaque ipſum anno M.DC.LXXXIV. Mauroceni vigilantia, & virtute acri verberatione petitum, poſt novendialem obſidionem, obſeſſis ſe dedentibus, tertio Kalendas Octobris ſubactum eſt: Inventis ſexaginta propè tormentis, opibus, mercibus, ac totius generis impedimentis, Duci Straſoldo in cuſtodiam traditis. Hæc Venetis parvo ſanguine ſtetit victoria, eiſque amplam locorum dominationem aperuit, ac ſummum totius Provinciæ jus penè firmavit.

Maritimi congreſsus cum Turcis quinto Kal. Novembris M.DC.LXXXIV.

DUm hæc agebantur, Alexander Molinus Navium extra ordinem Præfectus, belligerum animum in Turcas ſua armabat virtute, ac in ipſos tota vi ferebatur, qui ſuis Claſſibus totum emenſus

Ægeum,

Ægeum, ab Inſularibus tributa exigendo, omnes illas Inſulas refractarias ſubegit, ac vectigales fecit. Ibi, qua opus erat ſolertia, hoſticas Triremes perſequitur: illæ profugæ ſemper totius Pelagi quærebant latebras, ut declinarent incurſus, ſed à Molino, Navium fulminibus tres earum petitæ, abſorptæ fluctibus periere.

Alias interea ſecum expeditiones agitans anxius Molini lancinabatur animus ex nimia cunctatione timens, ne deſidia, & otio, ardor confligendi in Claſſiariis langueſceret: Hæc ſecum reputans, adeſſe hoſticas Claſses ſubaudit, XXVII. Triremibus, myoparonibus, ac aliquibus Navigiis latè ſpectabiles, Duce Aſsà Ductore; Ille in vicinia, duplici agmine explicatis Navibus, ut hoſtem undique circumveniret, ne congreſsum evitare poſset, ſuos hortabatur ad conſerendas manus, ratus dignam virtutis gloriam reportaturos.

Ut primùm in conſpectum venere ingens metus Turcas corripuit: Baſsà in ſumma conſternatione nactus effugiendi locum, jaculi fugaciſſimi ſpecie, ſtatim proripuit ſe ſe ex acie, ac turpiſſime intra Scium Portum, Græcis Chios, latitavit. Eò ipſe Molinus aggrediendum cenſuit, ad hoc machinarum inſtructore Baſſignano miſso, ut Triremes ignibus fabrefactis incenderet: Sed ferrea catena, impoſſibili fractu os Portus obſitum à propoſito abſtinuit. Tunc Dux imperat non tàm Triremes majoribus Machinis, ſed ipſam Arcem laceſsere; ex illis tres undique perterebratas mare abſorbuit. Inde in continenti mille expoſiti milites, agros depopulati, mancipia plurima abſtraxerunt, multa impedimenta aſportarunt, & Græcorum non pauci in fidem recepti. At Turcica claſſis Venetas Naves procul adeſse conſpiciens,

por-

portu egreſsa Smyrnas velociſſimè petiit, illudens noſtras machinas ipſam in caſsum ſectando verberantes.

Mutua expeditiones in Hoſtem. Arx Vonizza intercipitur octavo Idus Octobris M. DC. LXXXIV.

VEneti Duces ex occaſione commiſſi terra, marique feliciter prælii, majora ſibi polliciti, quò ſenſim reſidebant hoſtium vires, ad majora in dies facinora animum præparabant. Interim Turcæ Mahometicum Vexillum exponunt ad extremam, ac urgentem propriæ neceſſitatis ſignificationem oſtendendam, ut à remotioribus Imperii regionibus milites evocarentur, & ad opem ferendam feſtinarent: Quinquaginta triremes, cum omnibus impedimentis, æquè ad propulſandas noſtrorum aggreſſiones, & ad ultro inferendum in nos bellum appoſitas, pro futuro tempore inſtruunt. At jam ex relatis Victoriis fortunæ favor à Turcis abeſse, & favente Numine juſtæ cauſæ, ad Venetos ſe convertiſse, videbatur; cum his diebus Veneta virtus futuræ glorię, ex pręteritis victoriarum eventibus, majorem fructum inde ſibi ominabatur. Dum ſubacta Nicopoli cum noſtri quinqueremium Claſse Arcem Vonizza in ſinu Ambraciæ occupaſsent, (cujus præſidium capta fuga ad interiora Provincię ſe receperat) illius Agri, & Ambracii Incolæ ſe libere Reipublicæ Imperio ſubmiſere.

Hæc inter, Hieronymo Cornelio Maris Præfecto ex Dalmatia in Patriam, rebus benè geſtis, & confirmatis Leucadiæ propugnaculis ad quamcunq; vim propulſandam: feſtiva omnium alacritate recepto; ſexto Kalendas Novembris Petrus Maurocenus Imperato-

ratoris nepos ſucceſſerat, qui Aſcrivii Haiducas excitando Norini Turrem tormentis munitam facili negotio ſubegit; quà ſibi viam ad Herzegovinæ aggreſſionem aperuit.

Auxilii Bellici comparatio.

HIs proſperè geſtis Senatus favente Deo in gratias diffuſus, humana ſubſidia undique ſtudio comparabat, ut ſpei majoris fortunæ vires ex æquo reſponderent; jubet itaque, militum delectus haberi, ductore Principe Maximiliano Guilielmo Branſuichio Ducis Filio, ex animi magnitudine ſponte præliaturo: opem divinam implorari; comparatiſque Navigiis, eductiſque Triremibus, Claſſem ſuppleri. Et, ne pecunia impendiis, & his maximis, deeſſet, propoſita Sancti Marci Procuratoria dignitas eſt, viginti quinque nummûm millibus; delectus Deghenfeld Dux, qui colligeret ex omni parte tria peditum millia, equiteſque quingentos, ſuo tempore in orientalem plagam ducendos.

Expeditio in Peloponneſum prima. Corones expugnatio anno M.DC.LXXXV. III. Idus Auguſti.

PAri undequaque fortuna Veneta laus diffundebatur, maximè cum Maurocenus extemplo, & hoc anno, ad belligerandum opportuna, coagmentatis undique agminibus, quæ ad maritimas Claſſes reficiendas uſui eſſent, delectaque forti militum manu curavit, atque militari laude emeritus, futuris congreſſibus majorem adoream conſecuturus, eò gloriam ſuam augere conabatur, quò hoſtilis vis minueretur.

Quarto Idus Junii ſumma animi alacritate Principi Maximiliano de Branſuichio occurrens, eum excepit; qui tum ad Dragomeſtre ſinum appulerat, ſuis numero copiis M.M.D., commeatuum Navibus ſociatus, quibus præerat Ambroſius Bembus extra ordinem Navium curator.

Huc Philippus Sabaudiæ Princeps martio ſpiritu excitatus, & virtutis famæ æſtimator, ut tunc pervenit, tantò ab ipſo Mauroceno officioſiùs exceptus eſt, quantò effuſiùs ab omnibus colebatur. Repentèque ipſam ſtationem Comes Claudius Sanctus Paulus Dux optimi conſilii fructus in arduis diſcriminibus prolaturus feſtinatò tenuit. Pauloque poſt, Hetruſcas Triremes trecentis militibus refertas, Priore Vandomo ductore, appuliſſe fertur, quibus ſe Pontificiæ, & Melitenſes adjunxere, ipſiſque Prior Brancacius Neapolitanus præerat ſupremi ducis munere. Tantarum virium adventus eximium ſummi Ducis animum ingenti gaudio adeo affecit, ut conſentaneis ille officiis eo amoris ſignificatione progreſſus fuerit, ut omnes ulnis complexus ſit; Idque non tantum erga primores, ſed & in minores egit: ipſeque bono animo eſse eos ad militaria geſta hortabatur, eo monito reliquos milites confirmaturos. Evocato interim Conſilio perpenditur, quid facere opus ſit, ut omnes ſcirent, quid ſibi curæ, quid muneris obeundum eſſet. Hoc unum ſancitum, Veneta Navigia illa ſummum Sapientiæ ſinum nuncupatum, petere, non tantum ut magnum Turcarum agmen, ſtationes prope Patras, & Neupacti portum agens, in partes diſpartiretur, ac celeri motu, metu exterritum, ſuorum compreſſis, per littora, excurſibus, Arcibus ſe includerent: Sed ut Leuctricos Populos in juratam fidem paratos auxilio no-

ſtris

ſtris adeſſe (ut miſerrimæ jugum ſervitutis excuterent: ſtatim, ac proſpero eventu Chriſtiana arma illuc prodirent) confirmarent; præterea etiam Ducis Baſſæ machinamenta, & meditata ſcelera abditè explorarent, ad quorum obſervationem res inſtruerentur.

Duodecimo Kalendas Julii mane profectioni deſtinato Leucadiæ, & Nicopolis cura vigilantiæ, & virtuti Jacobi Cornelii trium Inſularum Præſidis demandata, ipſe Maurocenus ad Claſſem pervenit, Nono Kalendas Auguſti recenſens quinq; quinqueremes, viginti Venetas Triremes, decem, & ſeptem Auxiliares, duodecim Biremes, duodecim Roſtratas Naves ſtratioticas, frumentarias, & Onerarias, quæ numerum ſeptuaginta ſeptem velorum explebant: Navium agmen in Ægeum dimiſit, ductoribus Alexandro Molino, & Hieronymo Delphino, Navium hoc ordinario, illo extra ordinem præfecto. Statim autem ac conſpexere Leuctrii Populi hominem apud ipſos magnæ æſtimationis ab Mauroceno miſſum, veniſse admonitum ſuperventuram illùc Venetam Claſsem, & percunctatum voluntates, & animos eorum; ipſum, his reſponſis, ſe paratos eſſe à Turcis diſcedere, & ad Venetum Imperium acceſſuros, remiſerunt. Indicto igitur belli Conſilio, diù agitatum, quæ agenda eſſent, cum quiſque Ducum vel ad Methonis, vel Corones, vel Pyli, vulgo Navarini aggreſſionem animum flecteret. Sed nono Kalendas Julii habito nuntio à Leuctricis Populis, cum eorundem reſponſis, meditatus eſt Maurocenus haud expeditius, ac præclarius facinus eſſe, quàm aggredi Coronem, ut in officio Populi, & in jurata fide cominus continerentur. Hanc opinionem fulſit auctoritas, cui unani-

miter aſſenſere univerſa Ducum conſilia. Hinc ſtatim feſtinato detractis Anchoris ad optata littora contendere.

Corones Urbs nobilem in Peloponneſo ſitum occupat intra Meſſeniæ Provinciam in ora Meſſanici littoris, cui nunc meſsaniaco ſinui nomen eſt. Duodecim millibus paſsuum dividitur à Methone, ad Promontorii lævam, dicti à Tolomeo Acritas Promontorium. Triangulari forma in littore prominens à duplici Meſseniaco ſinu alluta Veteris Urbis ambitus in tumulo ab ortu eminenti adhuc forma manet. Sex turres, quæ Urbem circummuniunt ſcopuloſis rupibus Aquilonem aſpicientibus, impoſitæ, ſuburbanos tuentur. Multa cenſeo dici poſse, at his ſatis me dixiſse reor, ipſam eſse copioſam populorum, totius Provinciæ horreum, omnibus fœcundiſſimam frugibus, quaſcunque concipere animus poſſit.

Diluculo ſexto Kalendas Julii Biremes tranſalpinis militibus refertæ ad occaſum, vulgo ad Turretas, in continenti expoſitis, pererrantes Turcas Urbem repetere compulerunt; atque parum progreſſi milites partem ſuburbii occuparunt. Poſt duas horas univerſa Claſſis, ſecunda navigatione, in Corones conſpectum appulſa eſt. Turcæ verò intra civitatem, ac ipſius Arcem degentes, tribus millibus Incolarum ex vicinis Pagis, & ſuburbio excitis, tanto hoſte perterriti mœnibus, ut opus erat, ſarciendis, augendiſque, ac firmandis munimentis Urbis, omnibus rebus inſtruendæ defenſioni ſtuduere. In biremium ſtativis ipſis tota Claſſis conſedit, ex qua ſupremus Dux terreſtres duorum militum millium copias ſpectati roboris, exſcendere juſſit, ut capta ſtatione ad ſummè cruentum inſtruerentur certa-

men;

men; iiſdem præpoſito Duce Sancto Paulo; qui ad ſubeundam provinciam, & deſcenſionem faciendam pari animo, & ordine, ut id ageretur inſtitit.

Omnia unius Turcarum tormenti exploſione ſtatim expediuntur. Tantarum copiarum ſuccinctus viribus Maurocenus meditatum iter proſequebatur, cautè tamen ne ab hoſtibus intercluderetur. Propè Olivarum, ut dicitur, Nemus dimidio milliario ab Urbe diſtans meridiano tempore tacitè ibat ipſe ſcrutaturus loca Obſeſſis egreſsum occluſura. Ad ortum igitur Civitatis Hetruſcas copias, & Benedictum Sanutum Adriatici ſinus Ducem excubare, ne bireme, & prædatoria Nave, cum ſcaphis degentibus ſub Arcis tutamento, obſeſſi caperent fugam: & Præſidem Comitem Sanctum Paulum terreſtri manu inimicos urgere, ut à terra, marique cuſtodiæ liberè agerentur, jubet, ipſe myoparone ſpeculatum it, an è maritima Urbis Turre Veneta ligna poſsent ictibus percuti. Trierarchis interim mandat cum quinqueremibus Navagera, & Sagreda, cumque triremibus catervatim, ductore damnatorum Præfecto, omni vi mœnia majoribus tormentis vexare. Tunc Sanctus Paulus Dux recentibus militum viribus, terræ partem petit, ità ut circa veſperas parvo momento totum ſuburbium occupatum fuerit, Poſt hæc cæca nocte quidam urinans biremem inimicam ſolvit, majori gloria, quam fructu. Valdè mane omnibus opportunè diſpoſitis circa Civitatem Caſtra metati ſunt. Ex adverſo magnæ Turris ſtationem agebat ipſe Sanctus Paulus Dux, ſuburbii verò Branſuich Princeps, & ad lævam Sancti Pauli Princeps Sabaudiæ. Hetruſcis copiis inter obſidionales lineas ad ortum conſtitutis, Melitenſibus, & Pontificiis ex altera Urbis parte locare caſtra

juſſis; ſubinde obſeſſis terrorem noſtri incutiunt, urunt, diruuntque funditus. Intempeſta nocte detracta campeſtria è Navibus tormenta ad tuendas lineas, & ad verberanda mœnia appoſita, optimo loco ſiſtunt, ab Corone tantum ſclopi ictu diſtante; Maurocenus, cui animi ardor, & impetus in adminiſtranda provincia tantus erat, ut undique, & ad omnia inceptis inſtaret, iiſdem iterum, atque iterum refectis munimentis, quibus ab hoſtili incurſione à tergo tegeretur: perculſus fama prævalidi ſubſidii, obſeſſis affuturi; cuniculos fodere, agere in Urbem, Bragadinoque, & Sanuto cum Claſse navalibus machinis oriente Sole Urbem vexare præproperè mandat. Ab Urbe intenſius, quàm antea obſeſſi machinarum ictibus noſtras munitiones proſternere connitebantur, quas attamen extemplò auctas, & octo cuniculos effoſsos invenere mirè diſpoſitos. Hinc noſtri, ex munitionibus ſupra mœnia excitatis, ferreos globos tormentis adactos in Urbem jaculabantur; ſola die, quà vocarunt ad deditionem obſeſsos, ceſsatum.

Septimo nonas Julii mulierum quatuor Leuctricarum Corone in compedibus detentarum fuga inſignis fuit, quæ ſe periculis offerendo per mœnia delapſæ ad noſtros confugerunt; coram Mauroceno perductæ, retulere Turcas malle mori, quam ſe dare Venetis: ſuppetias minimè illis deeſse, pauperibus divites opitulari, quamvis ingentes Ollæ (quæ Bombæ appellantur) è mortariis in Urbem vibratę magna damna attuliſsent, domuſque eſsent comminutæ, maxima hominum, fœminarumque ſtrage. Quæ omnia Paſtores inimicorum transfugæ confirmavere. Iterum noſtri actis ſub menia cuniculis, iiſdemque admotis ignibus data ingenti ruina, ob-

ſeſſis

ſeſſis magna damna minitabantur, ſe in Urbem inſinuabant: ſed Turcæ fabrefactis ignibus, ſagittis, & ſclopi ictibus Corponenſem Ducem parvo ſuorum numero defenſum, pepulere, tribus interfectis, aliquibus ſauciatis. At quoties repetitis conatibus uſi ſunt, ut certum, eminentiorem locum tenerent noſtris infenſum, toties vulneribus rejiciuntur, atq; deturbantur, non modica ſuorum ſtrage, inter quos Chaimacami filius; Adeo, ut nemo deinceps obſeſſorum tuto prodire extra munimenta auderet, quin pluribus locis collineantium ictibus necaretur.

Sic res ſe habebat, cum ſummus Belli Imperator (ut ſuorum ſanguis ſervaretur) tertio Nonas Julii album vexillum exponi jubet, miſſo feriali epiſtolam obſeſſis exhibituro, quà indicebat, conſecuturos æquas conditiones, ſi ſpontè reddere ſe illo die annuerent, ſecus extrema mala, ſua illis clementia abutentibus, minitabatur: cui, potiùs mori, quàm ſe, aut ejus minimum Urbis lapidem cedere, malle, reſponderunt. Hanc Obſeſſorum conſtantiam ſpes maturi auxilii fulciebat tribus armatorum millibus ex Neupacto, & Patris deductis à Muſtafà Baſsà, quos in horam adfore ad ſe obſidione liberandos ſibi perſuaſerant. Sed ob has voces, quamvis irritas poſtea, verentibus Venetis, ne Baſsà toto conatu ſuis opitularetur, & per noſtras munitiones, vulgo lineas, in Urbem ſibi aditum aperiret, eas reficiendas Maurocenus curavit. Illicò autem Georgius Emus feſtinatò militibus ſtipendia ſolvit, cujuſque promptitudo, & præſtantia in Reipublicæ fide eos alacres continuit, & firmavit; qui inde innumeris in Chriſtianam Rempublicam meritis exuta Chlamyde ad Epiſcopatum elatus nunc non minus quàm antea Toga, Infula refulget. Interim pluribus bombardarum

ictibus

ictibus mœniis quaſſatis, nulla obſeſſis dabatur quies, adeo ut parvo momento noſtri uſque ad jugum Collis progrederentur. Conſpectus Veneti exercitus è veſtigio excivit Viſirum Kalil Baſsà ad duo milliaria à noſtris cum magno Turcarum agmine conſidentem, qui inde è latebris erumpens cominus ſtativa molientes abſterrere ab incœptis ſe poſſe putabat. Sed tunc intentius, quàm antea opus progrediebatur, quamvis noſtra Caſtra pervigili cura defendentes frequenter diurnis, nocturniſque aggreſſionibus vexaret: deductis in clivum tormentis ſæpius igneas glandes torſit in noſtros, illas tamen retundere apprimè paratos. Quotidie virium acceſſus Turcarum audaciam augebat, & quamvis variis congreſſibus ſua multitudine minoribus noſtris nocere ſtuderet, ſæpiùs attamen ſuorum quidem damna declinare non poterat. Tot, tantiſque ærumnis in dies deficientibus animis, à Turcis aliò auverſis aquarum ductibus, quæ eminus è fontibus ſcaturiebant, Veneta Caſtra reficientes: magno periculo noſtri laborabant, haud tamen ab ullo opere ceſſatum, imò vero omnia augebantur. Interim Baſſignanus, & Verneda pollentes ingenio in excitandis ſubducta humo novis receptaculis ſe exercebant, ut ſtativis uniuſcujuſque loci ſubter mœnia cuniculos ſuffoderent. Sed ſolus Vernedæ cuniculus aptus inventus eſt ad nitratum pulverem recipiendum, cui igne admoto, præalta, imminenſque Turris proſterneretur. Tunc haud multo poſt Curator Alexander Bonus virtute, ac prudentia clarus cum quinqueremi, quatuor triremibus è Dalmatia trajiciens, trecentis, & ſexaginta militibus (dracones dicuntur, quædam novæ militiæ ſpecies) ad ſinum appulit, quibus repente expoſitis, Maurocenus, qui nunquam ab arduis animum

nimum

nimum deſpondebat, immò conſtantem, & in omnes eventus ſe intrepidum præſtabat, ut undique obſeſſi diſtinerentur, quinqueremium, & Triremium ingentem Claſſem in tres partes ad angulos Civitatis diſpartiri jubet, inſtructis agminibus in Caſtris. Hora meridiei cuniculo centum Cadis pulveris referto datis ignibus; quamvis mœniorum pars ad ima flammifero impulſu corruiſſet, tantis ruinis non eſt apertum iter ad aſcenſum appoſitum, nihilominus inde Turcæ imminentem noſtrorum aggreſſum verentes, noſtris occurrere pergunt, aggrediuntur in Cryptoviis excubias agentes, & crudele ineunt certamen, quibus locis potiti fuiſſent, ni in illa ſtatione degentium furor, rumorque in cæteros diffuſus præpropere ad opem ferendam noſtros evocaſſet, ac Turcas Dux Sanctus Paulus accurrens cum ſuis non ſine acri dimicatione repreſſiſſet: eo clades conſtitit, ut quingenti fermè omnes Prętoriani interempti fuerint, præter multos ſauciatos, decem, & ſeptem vexillis, impedimentiſque quamplurimis aſportatis; Venetorum autem quinquaginta aſſiduis conſumpti potius laboribus, quam vulneribus, è vivis ceſſere. Tunc temporis auxilia Turcis, ex Patris, & Nauplia ventura proxime divulgabantur, quum excubantia prope noſtras campeſtres munitiones tria millia Peditum ſclopeto armata, octingentique equites, alii ſagittas, alii pilas ignitas ferentes, rati noſtros ad aggreſſionem intentos diſtineri, Venetorum caſtra invadunt, plurimos vigiles perimendo. Noſtri hoſtili audacia acriter perculſi, catervatim uti quoſque ſors tunc conglobaverat, in aggreſſores audaciſſimè concurrunt, multiſque illorum interemptis, cæteros extra ordinem fugæ commiſſos, tentoria ad uſque inſequuntur: inventi in

F cam-

campo extincti majori numero, (capita ſcilicet 360.), quam antea. Noſtrorum innotuit centum non exceſſiſſe. Dum igitur foſſas ducunt Veneti, ut aggreſſiones ſubeant tecti, maritimam machinam, inſtar Navis, vulgo Palandra, illuc nuper appulſam, ſiſti jubent ad ortum, ex qua poſtea glandium igneas procellas in Urbem vibratas, magna obſeſſis damna intuliſſe fertur. Interim duo, (vulgo Vecchiardi), ex Leuctri vicis ad Maurocenum accedunt, cui mille, & quingentos incolas in eorum Provincia collectos offerunt, inſtando quamprimum expediri quatuor Triremes ad ſubeundas copias paratas conſcendere, ut feſtinato curſu opportunè illuc pervenirent. Hoc, Belli Imperator, Sanuto Adriatici Maris cuſtodi perfici mandat. Ab omni metu interim ſecuri degebant Turcæ in Campo multis fulti copiis, quas quotidie ab omnibus ferè partibus Peloponneſi recipiebant; At contra Veneti indefeſſis vigiliis, & armorum pondere preſſi, excubias agebant, ne improviſo exciperentur hoſtium fraudibus, & ab Urbis præſidiariis graviori damno premerentur. Cum autem per mœnia à mari ſecreto dilabentes, collineatis ictibus, prominentibus contecti ruderibus, maximam edidiſſent noſtrorum ſtragem, pedem feſtinato referebant ab excubantium occurſu, ut plurimum immunes. Nocte intempeſta è propugnaculis jacientes fabrefactos ignes in noſtras munitiones (olivarum, domorumque ſuburbii dirutarum lignis compactas) incendebant, aſſiduis ictibus proſternentes quenquam noſtrorum audacter ignem extinguere ſatagentium. Quibus cladibus, variiſque morbis imminuti Veneti, atque penè attriti, malebant unico certamine ſuam experiri aleam, quam ſenſim, & paulatim abſumi. Quibus primò diſſenſus eſt Maurocenus, ratus, in aperto marte

marte ab barbarorum equitatus experientia, & ſtrenuitate omnem noſtrum conatum irritum fore, & periculoſum; atque, etiamſi ſummotos hoſtes longius noſtri perſequerentur, paulo poſt repetituros certè ſua ſtativa non dubitabat, acrem ultionem de Venetis ſumpturos. At ſuo aſſenſu Ducum deſiderio tandem annuit, non aliud auxilium eſſe intelligens illius periculi diſcriminibus futurum, quàm ſubmovere hoſtes ab inceptis, antequam recentibus agminibus, cum eorum Baſsà ductore, coaleſcerent, (quæ vox poſtea evanuit. Attamen actutùm mandat Conſilium proferri. Itaque ſeptimo Idus Auguſti è Triremibus, & Biremibus noctis ſilentio exponi jubet mille, & quingentos Epibatas, quorum mille, & ducenti robuſtiores Magnanini Chiliarcæ ductu accederent per planitiem quandam ad lævam inimicorum agminum; ad dexteram vero eorundem, eodemque ferè momento maritimam Claſſem vela vertere in opportuniorem locum, ut obſeſſis timorem augeret, & majorem incuteret conſternationem. Ducem vero Sanctum Paulum cum tribus millibus delectis militibus ab Venetis receptaculis eductis mittit aggreſſurum Turcas, ut undique uno impulſu omnes inimicorum cuneos vi infringere poſſet. Omnia ſimul opera, ac mente patrata ſub primæ nobilitatis ducibus, notæque fortitudinis Alcenago Veronenſi Equite, & Jovio Chiliarchis, ceteriſque. Sexto igitur Idus Auguſti eodem die, & proximo anno, quo Leucadiæ Inſulæ Veneti potiti fuerant duorum Cadorum nitrati pulveris incendio, dato ſigno è Claſse bombardarum ictibus, cępit reboare Pontus, Terra tremere, adeo ut exterrerentur inopinanter hoſtes noſtris incurſibus, undique circumacti, magiſque timore, ne adventu Leuctri-

F 2 corum

corum pervulgato noſtræ vires jam auctæ eſsent, incauti vigiles obtruncati ſunt, plurimis neci relictis, alii trepidi omnes in diverſum avolarunt, inſecuti tamen eos à noſtris longo itinere, eorum ſanguine, & cadaveribus, lata præda tellurem fędarunt, quodque eſt admirationis ſpecimen, pauco Venetorum damno. Ita, ut plurimum, ad benè inſtructi operis eventum victoriæ curſus completur.

Hinc actis in fugam hoſtibus aliò compulſis Caſtra locare, demoliri hoſticas munitiones ſatagebant Veneti, eo tempore, quo cum trecentis Leuctricis acceſſit Sanutus Freti Cuſtos: cum Maurocenus ratus proximæ cladis nuntio obſeſſorum animos emollitos, & ad deditionem paratos, mandat admoneri non eſſe amplius cunctandum ſpe vani auxilii, quod paulo ante disjectum, minime ipſis affuturum jam ſcirent, & ſe à capienda Urbe miſeratione eorum hucuſque abſtinuiſſe, ut ipſi omni pervicacia depoſita ſpontè ſe dederent, ſed diù promiſſa refellentibus, ultimum ſe minari excidium: Attamen ſive inſania Ducum, ſive militum conſtantia, ſive denique adhuc inſidenti animis ſpe proximi auxilii reſpuentes promiſſa, reſpondere, quamquam ab hominibus ſe deſertos conſpicerent, Cœli ipſis auxilium non defuturum, ſperare ſe, paratos ad ultimum halitum uſque decertare.

Quinto idus Auguſti Hetruſcæ Triremes littore ſolvere, excuſantibus ſe Claſſiariis apud Maurocenum, per ſui Principis mandata de reditu in Patriam haud protrahendo; quos erga omni amoris, & venerationis ſignificatione digreſſus Imperator, in ſe devinctos Patriam remiſit. Attamen ſtatuens inimicum repellere, & Civitatem ipſam expugnare, proſpicienſque è Branſuichium, & Melitenſium

ſta

ſtationibus, majorem ipſis incuti difficultatem, ſtatuit latiùs aperire viam; cujus rei occaſione, ſolicita Baſſignani opera, & Ducum ſolertia, quarto Idus Auguſti cuniculus in propugnaculi radicibus, ducentis cadis pulveris (in Turcarum Caſtris reperti) obductus eſt.

In illius diei occaſu ad Campum divertit Maurocenus Conſilium de aggredienda Urbe cum Ducibus Sancto Paulo, Benzonio, & Venerio belli curatoribus, & cæteris coacturus, qui in craſtinum nacti idoneam tempeſtatem, incenſo cuniculo, aggreſſionem ſtatuunt; &, ne res in irritum caderet, ex altera parte per lapſas ruinas, Branſuichios, & Melitenſes ſucceſſuros, inſtituunt.

Igitur tertio Idus Auguſti primo mane diſpoſitis in Campo agminibus è cuniculo excitatus ignis, neſcius occludi, tanto cum fragore, & impetu erupit, ut aditum in Mœnia peramplum patefecerit, ſolum ab imo convulſerit, multis Turcarum per aeram aſportatis, non tamen abſq; noſtrorum damno, in Urbem molientium aſcenſum; Inde Italica agmina Jovii ordinum ductoris moderamine ad aggreſſionem, (nullo mertis metu, ſed vividæ Virtutis impulſu, ut convulſa mœnia occuparent), intrepide feruntur; inter primos fuit Marcius Ferro Dux, vir animo, & experientia ſtrenuus, virtutis monumentis in Cretæ obſidione clarus. At contra haud inertes Turcæ, ſuorum Ducum ſolertia in ſubeuntes Venetos impetum faciunt, pugnantque non tàm armis, quàm ſaxorum ictibus, & pilis ignitis, quæ in fruſta disjectæ magnam ſtragem edebant. In tanto rerum diſcrimine, & funerum copia, minimè territi Veneti, per diruta mœnia aggreſſionem inſtaurant, & ingenti Cautis beneficio ſtationem in clivo ſaxoſo conſti-

tuunt

tuunt, ſe tutantes lanarum, terræque ſaccis, impaċtiſque lignis cruento certamine ad tres horas perducto, obfirmato animo mortem potius oppetere, quam turpiter regredi. Interim Maurocenus murales adverſus Oppidum machinas in munitionibus eminus locatas á libratoribus explodi juſſit, ut per convulſum aggerem, & ruinas ſolo æquatas, viam aggreſſoribus aptiorem aperirent, ſaxis, piliſque volantibus omnia metu, ac terrore complerent; Quod præſſidiariis ſpem ademit ſe muniendi ſaxis, ligniſque introrſum.

Conſpiciens autem Maurocenus ad aliam Urbis partem Branſuichios, & Melitenſes acriter cum hoſtibus confligere iniqua plerumque fortuna, illico mandat retardari conatum, pedemque referre, ne præter extinctos triginta, totidemque ſauciatos, inter quos Chiliarca Sanctus Andreas, & magni animi Princeps Sabaudiæ, adhuc in periculoſum diſcrimen laborantes, cæteri etiam verterentur. At, ut repetito conatu validiorem aggreſſionem Civitati ſtatim Veneti confirmarent, ſub Chiliarcæ Alcenaghi Æquitis ductu, è biremibus Epibatas juſſit denuo exſcendere, ut rei peragendæ noſtrum animos foverent, vireſque inſtaurarent. Igitur claſſicum canere, & Urbem aggredi unico impulſu cœptum eſt: Sed præſſidiarii metu conterriti, qui nihil minus, quàm noſtros tàm citò adventaſſe expectabant, quibus exploſa tormenta defenſiones adimebant, ſuis diffiſi viribus, primo eorum Duce jam in propugnaculi ruinis funerato, album exponunt Vexillum, & Mauroceni arbitrio ſe committunt. Sanctus Paulus peditum Dux arma contineri jubebat, obſidibus hinc inde dimittendis; attamen Imperator firmare pacta renuit, antequam magnam Turrim illiſo pro-

pugna-

pugnaculo imminentem dimitterent Turcæ. Dum igitur de Urbe reddenda per feciales agebatur, incenſo cuniculo dolosè in imo præoccupati propugnaculi ſuffoſſo, non modicam noſtrorum militum ſtragem edidere: magno Marchionis Corbonii, inſignis Ducis, extremi fati periculo.

Hac fœdifragûm immanitate, fractæque fidei improbitate, magna Veneti ira ferventes, verſa denique in rabiem fide, ferro in Civitatem irrumpunt, occurrentes, nullo vel debilioris ſexus habito diſcrimine, trucidant: Quadrageſimo nono obſidionis die captam Urbem populantur: inventis tribus millibus Turcarum extinctis, Chriſtianorum trecentis.

Ita Mauroceni clementia ultimo ſe ſubtraxerant Turcæ excidio, niſi impotens pervicacia æquabilem vindictam inſtigaſſet.

Sic capta eſt Civitas loco, & natura munita intus, foriſque à Veneto exercitu, quem Barbari in Campo paulo ante utrinque obſederant. Inter cæteros, qui ſtrenua geſsere arma, ſummo imperio, Maurocenus, Princeps Branſuichius, & Sabaudiæ honorarii Duces, auxiliariorum Primores, Sanctus Paulus Dux, Benzonius, & Venerius Aciei cuſtodes, qui cum cæteris fuere ab Senatu æternæ gloriæ monumentis reſervandi.

Baſſignanus autem machinarum præfectus torque aurea donatus à Mauroceno, ſuæ virtutis in excitato dudùm cuniculo præmium reportavit.

Ad Urbis præfecturam extra ordinem ſtatim deligitur Georgius Benzonus, & ordinarius Juſtinus à Ripa; Ad armorum curam Comes Alexander Vimes.

Memoriæ facinus hic cenſeo reſervandum, quod Celox, cum tribus Turcis, Nixichi ſoluta, ad Claſ-

ſem

ſem Venetam deducitur captivos Turcas redemptura. His ad parvum ſcopulum coacervatis, mulier eorum quædam ſtatim enixa partum, fera barbarie, in mare projecit, ne cum ſervitute vitam hauriret.

Expugnato Coronide, Regium Vexillum cum duabus equinis caudis, ſummæ poteſtatis indicium, Turcis ereptum, ac Venetias allatum, ingenti omnium rerum pompa, ac Principis, Senatus, omniumque ordinum conventu, in Eccleſia Clericorum Regularium Teatinorum tantæ Victoriæ monumentum perenne repoſitum.

Terreſtres Succeſſus, moderante arma Dalmatiæ Petro Valerio. 15. Kal. Maii M. DC. LXXXV.

FElicia auſpicia præſentis Veris ineuntis. Commiſſarium Franciſcum Michaelem militari ſcientia, & terreſtris rei peritia clarum variæ Turcarum excurſiones in Dalmatia nunquam ita diſtraxere, quin & eundem pertraherent prope Scin Caſtrum, quinquaginta Prætorianis firmatum, cum Morlachis, aliiſque militibus, ut obſtrueret aditus, ne indè deferrentur Caſtello-novo ſubſidia; Ibat ergo in finitimos Turcarum agros, liberis excurſibus populatum, nulli prędæ generi parcendo, &, ut ad Vicum pervenit Zatinæ muris circumſeptum, præalta Turri quatuor tormentis munitum, intus irrupit, ſubitoque illato impetu incauti hoſtis ſtationes adoritur, obluctantes interimit, cęteros mancipia facit. Ad Caſtrum Scin progreſsus tormentorum ictibus petitus, tutiori loco ſe recepit, opperiendo Venerium Dalmatiæ moderatorem cum reliquo exercitu, illuc feſtinantem, præmiſso Comite Ripeta Duce Belli, cum octingentis militibus

auxi-

auxilium Michaeli, ſi à Barbaris circumveniretur, laturo

Turcæ jampridem, cognito Venetorum inceſſu, è latebris erumpentes, duorum millium numero militum, cum impedimentis omnis generis iter celeriter proſequebantur, clam ferentes auxilia Caſtello-novo, ut ab Venetorum manibus ſe proriperent, & in tutum reciperentur, Sed ſua ſpe decepti, cum facile fuerit utrique exercitui concurrere eadem via gradienti, in Venetos incidere. Comes Ripeta itaque ſuſceptam expeditionem, aliquo egregio facinore tunc auſpicaturus, Commiſſario Michaeli conſociari petebat, cum hoſtem conſpexit unus ex ſuis Velitibus, nec verò prius cum ipſo congreditur, quàm Comes Commiſſarium vocaſſet, ut in Turcas conſurgeret, & inde non prius in hoſtium terga exilit, quàm ipſe cum reliquis copiis eos Caſtello-Novum tendentes in fugam verteret, conjectoſque in viarum anfractus, & loci anguſtias ingenti occiſione debellaret: in noſtrorum manu magnis copiis relictis: mille ducenti Turcæ momento fuere interempti, quinquaginta in compedibus conſtricti. Nondum tamen extincta tot cæſorum ſanguine ſitis, in exanimia corpora adhuc ſæviebat miles rabiem expleturus, quam ex hoſte conceperat. Hæc victoria parvo Venetorum ſanguine empta, Scin, & Caſtello-Novi interceptionem ominabatur.

Geſta in Peloponneſo poſt Coronem captum.

HIs congreſſibus, præclariſque facinoribus devicta fortiſſima Urbe Corone, lætum, ac feliciſſimum nuncium ſecundo Kalendas Septembris per Chiliarcham Magnaninum Venetis allatum, to-

tam Urbem, Venetique Dominii Provincias ſummo gaudio affecit. Facile credendum (ex ingenti auri vi, quam in ſumptus bellicos inter cæteros Venetiarum Antiſtites Sagredus erogavit, & qua ſponte effuſo proprio cenſu quotannis publicis neceſſitatibus ſubvenit) plurimum hanc victoriam ipſum exhilaraſse. Patres interim Magnaninum in Urbe adventantem ſumma lætitia exceptum, laudata Mauroceni Virtute, & diligentia, Ducumque probatis facinoribus, torque aureo donatum publicis auctum ſtipendiis dimiſere. Hinc Laurentio Mauroceno Franciſci fratri equeſtrem dignitatem decernunt hæreditaria ſucceſſione in Poſteros duraturam. Hæc omnia non minus publicæ magnanimitatis monumentum, quam ad ulteriora militibus tanquam incitamentum. Verum, quia procedente tempore creſcebant Reipublicæ diſpendia, undique commodè externa auxilia promoventur. Innocentius XI. ſummus Pontifex, ac ſemper magna veneratione colendus, eximia in rem Chriſtianam pietate, miſſis Claſſium, & copiarum ſubſidiis, non minus opera, quam votis Rempublicam adjuvit, iſque præter decumas Sacerdotiis impoſitas novies exigi permiſit centena aureorum millia ab eorum proventibus ex Veneto Dominio colligenda ſubſidiario nomine.

Zarnatæ, & Abiæ deditio.

DUx Baſsà ſpe ſua deceptus, qua ſibi ab intercipiendo Corone avertere Venetos poſſe perſuaſerat, & Peloponneſo majora adhuc damna veritus, ſuis Navigiis in Naupliæ portum ferrea catena obſitum in tutum ſe receperat, inde ſuis expo-

ſitis

ſitis ad colligendas copias, quæ de capta Urbe ſupererant, Provinciarum populos confirmare, Leuctrique gentes, parum barbaris ſe credentes, in Othomannica fide retinere latè circumagendo curabat. Dum hæc ille molitur, & ſibi annuere recuſantes pollicitationibus, miniſque pertentat, Imperator Maurocenus Mœniorum reficiendorum incępta ab ſe, aliis cura demandata, ad Abiæ ſinum ſuis, ſuorumque Navigiis ire pergit, qua Arce ſi eſſet potitus, circumjecta undique loca in poteſtatem videbatur habiturus.

Veneta igitur Claſſis, Auxiliariis ſuas in regiones jam reverſis, tertio nonas Septembris, ad Leuctricum ſinum appulſa, poſt paucos tunc explorandi cauſa in terram immiſſos milites, quibus adhuc Zarnatæ Oppidum Leuctricos obſidione detinere relatum eſt, omnibus ſtatim militibus Ducis imperio exoneratur. Interim ſine mora cum edicta Imperatoris eſſent propoſita, quibus pronuntiabatur omnes, qui vicinos Urbibus agros incolebant, libertate donatos fore, ſi fidelem, & fortem operam pro eo beneficio Reipublicæ præſtarent, & quibus ætas, atque animus belli patiens eſſet ad communis ſalutis cauſam defendendam arma caperent; tria millia incolarum ex pagis, villiſque collecta, paruere, reliqui Zarnatæ Arcis obſidioni inſtabant. Sed eam, priuſquam acrius oppugnatione premeretur, cenſuit Maurocenus evocandam ad deditionem, & abnuentem ultimæ necis calamitate damnandam, quæ ſe oppeFrituram Ducem Baſſam ſuppetias illaturum cum reſpondiſset, attamen poſtulabat, ut ipſum percunctatum ire liceret; cui ipſe fecialis non ſolum operam in eam rem ſe interpoſiturum, ſed ad Baſsam litteras per Tabellarium liberè

acceſsuras, fidem fecit. Jam redibat Tabellarius reſponſa proximi auxilii è Baſsà illuc comportandi, obſeſſis laturus, cum à noſtris interceptis Baſsæ litteris, & retentis, hoc monitu ad ſuos remittitur, ſui defendendi cauſam nactum Baſsam propriæ maluiſſe, quàm aliorum ſaluti conſulere. Interim illùc pervenerant viginti duæ Naves cum tribus millibus, & quingentis militibus Aloyſio Marcello ductore Standiæ Præſide extra ordinem deſignato. Statim igitur, ac conſpiciunt in terra milites in loco Ajasò vocato expoſitos obſeſſi, qui nullam ante rationem inermium de Arce reddenda auribus admiſerant, tum demum flecti cœperunt, maximè cum arma, alimenta, & ſpes auxilii defecisſent, timore perterriti, per honeſtam pactionem, ſtatuunt Urbem eſse reddendam. Itaque his conventis, & mutua fide, eſt dimiſsa, tertio Nonas Septembris; ſcilicet præſidiariis Turcis ſalvæ res, & arma militari more manerent, & non procul, Venetis Navigiis traducerentur, numero ſexcenti. Agà Caſtri Dux capitis pęnam veritus, ſi ad ſuos proceſſiſset, in Venetas Naves recipi comprecatus eſt. Hæc Arx ſub Baſsæ exercitus oculis antè oppreſsa eſt, quam penè obſideretur, præterito bello à Turcis ipſis condita; cui Bartholomæus Contarenus cum Angelo Emo pręficitur, ducentorum, & quinquaginta peditum pręſidio. Poſtmodum ſupremus Dux, qui hoſtem in Caſtri interceptione per deſidem metum diù cunctatum, facilè vinci poſse ſperabat, hanc aggrediendi nactus occaſionem ſtatuit ſummam vim experiri, ac totius exercitus, terra, marique conatu ipſum oppugnatum ire.

Inſtructis in cuneos ordinibus, quibus præerat Dux Baron Deghenfeld, juſſis ſubire hoſtes è mari

tota

tota claſse fultis; minora interim Navigia cum Sanuti freti cuſtodis agmine commentitia exſcenſione in oppoſita nemoris parte, transgredi imperat, ut diſtracti undique Turcæ facili negotio inde ſubmoverentur. Non deerant tamen ipſis Barbaris vires, & animus, magno quippè equitatu, quo noſter carebat exercitus, inſtructi, ideo facilè Venetas aggreſſiones refellere poſſe non deſperabant. Decimo octavo igitur Kalendas Octobris Dux Baſsà in lævum noſtrorum cornu, feſtinato impetu, duo millia Equitum infert; magna verò peditum agmina dexterum ſubiere, quo Branſuichius Princeps curando eximiæ virtutis ſignificationem oſtendebat. Audaces inimicorum frameas utraque cornua propulſabant; inde repetitis conatibus dirus in traſmarinos, & Saxones fit impetus, ſed undique audaciſſimè recepti, eorundem fortioribus lapſis in vulnera, ſurdi omnes ad Baſsæ Ducis incitamenta, quà quiſque poterat, ruit præceps in fugam, adeò ut in medio periculi deſertus, toto exercitu diſſipato, ab omnium oculis Baſsà ipſe evanuerit, &, quò ſe receperit, ignotum. Pauci ex noſtris fuere deſiderati. Franciſci Salomonii de Furtler Saxonum militum Chiliarcæ interitus dolore maximo univerſam Claſſem afflixit.

At, ut belli laboribus Victoriæ pretium æquè reſponderet, Zarnatæ fatum, Abiæ Arx ſecuta eſt, cum ex deleto Thrace trepidantes præſidiarii, qui pridie omnia bona ſua tutiori loco repoſuerant, decrevere, belli ſubſidiis incendio combuſtis, ſe fugientibus aſsociare, eumque locum antea ad Leuctrici populi ferocitatem compeſcendam opportunum Venetis reliquere; Hos quidem ſtatim Chriſtiana pietas ad promendas Deo grates ſui voti com-

potes

potes convocavit. Inventa utrobique ſeptuaginta bellica diverſi generis tormenta fuiſſe comperimus. Leuctricis Populis tunc opportunum viſum eſt inſtare fugientibus, nec ſpatium colligendi animos, vireſque hoſtibus dare; Inde, quos ſubducere eorum manibus fuga non potuit, aut enecti, aut mancipia ceſſere.

Leuctrica Oppida, vulgo della Maina, Garenia vulgo Paſſavà, & Chielapha Intercipiuntur.

MIſſo Venetias nuntio Senatum de tota re bellica certiorem facturo, tanta mole minimè preſſus Imperator Maurocenus, majora in dies coquebat facinora, &, quia minimum putabat, ſi ad opus perficiendum modica deficerent, jam Arcium Gareniæ, & Chielaphæ, quæ Leucadiam conſequuntur, aggreſſionem agitabat animo, quibus potius obſtrui Provinciæ illius aditum ingruentibus Turcis conſpiciebat, & poſſeſſionem ejuſdem Reipublicæ penitus firmari.

Leuctrici igitur Populi, audita Ducis Baſsæ fuga, ad Oppidi Gareniæ aggreſſionem contenderant; quà Maurocenus collaudata expeditione, imperat Carolum Piſamanum honorarium Ducem duobus Navibus ad Portum Vitulum accedere, ut opera, & conſilio eos adjuvaret, quem non procul ipſe Imperator (Ducum interim Conſilio de Abię demolitione coacto), ſex Triremibus comitatur, ubi ipſos Populos milite confirmàvit, ac opera adjuvit; omnis enim ejus cura ab illorum locorum munitionibus pendebat. Medio itinere, ab Piſano literas

ras accepit, quibus monebat, Leuſtricos, vulgo Mainatos, in fide promiſſionibus confirmaſse, ac Aſsan Baſsam Chielaphæ Gubernatorem breviter in deditionem venturum. His cognitis ad Portum Vitulum accedit, ac cum ipſis Baſſam Cecaja (id nomen officii) allocutus oſtendit, quid vi, & armis ſe minimè dedentes paterentur, ne igitur in ſe, liberoſque crudelis diripi, & exſcindi. Caſtrum, ac omnia dira, & acerba ſubire pateretur, qui pari fide, ac virtute omnibus belli incommodis ſatis ſuperque pro Othomannico Imperio haſtenus functus jam eſſet. Flexere hæc dicta Baſſæ animum; itaque his conventis firmata deditio eſt: obſeſſos vita, & rebus omnibus incolumes, oppidum ceſsuros, qui omnes, numero mille, ab ipſo Piſano ad Cervorum Inſulam delati fuere nono Kalendas Novembris. At Baſsà à Turcis avulſus maluit ſe ad Imperatoris Veneti pedes cum Oppidi inſignibus provolvere, quam ſuis aſſociari, & apud Aulam Bizantii pœnam capitis luere, (quam ſciebat ſubjiſſe Agà ob Zarnatæ deditionem). Itaque à Mauroceno perhumaniter exceptus, comenſali honore afficitur. Pluribus diebus cum ſex familiaribus apud Angelum Michaelem moratus, à quo omnem amoris, & humanitatis ſignificationem expertus, ambigebat tamen, utrum ad ſuos revertendum, quò eum conſequeretur periculum capitis, an apud Venetos manendum, quo omnium bonorum, & conſanguineorum amiſſio, & excidium præceſſiſſet: Cauſiſque libratis, tandem glorioſo ſe veluti martyrio deſtinans, omnium honore affectus revertitur ad ſuos.

Ipſo autem momento, quo Turcæ Oppido Chielaphà exiere; Maurocenus velis remiſque Leuſtricos,

cos, ſive gentem Tænariam, mittit Gareniæ Caſtrum exploraturos, quos ſequi voluit quingentos pedites aliò tormenta aſportari prohibituros. At primo aſpectu Oppidani ſtatuunt fuga loco cedere, rati non aliunde ſibi ſubſidia importari poſſe. Hoc modo, parvo ſanguine, Oppido potitus Imperator, viſus eſt totam ſimul Leuctri, ſive Tænari Provinciam occupaſſe. Cujus caſtrum Chielaphà nomine, ut cæteris Oppidis ſitu præſtabat, cenſuit muniendum: Gareniæ autem nullius momenti Pagum diruendum. Zarnatæ Nicolaus Polanius præficitur: Chielaphę Bernardus Balbus deſtinatur. Et Laurentius Venerius, qui terra, marique pollebat, extra ordinem præfectus deligitur, à quo omnes alii Provinciæ Præſides nutu penderent, ipſeque cæteris populis jus, arma, atque ſtipendia miniſtraret.

Caſtrum GomeniZziarum Venetis ceditur. Claſſici Congreſſus. Novembris M.DC.LXXXV.

DImiſſis in hyberna militibus, Branſuvicenſes Zacynthum, Saxones Dracones Leucadam, Corcyram Tranſalpini, cæterique tenuere; Triremes tantum comitari placuit Mauroceno, ut excurrendo ea loca, quæ in Reipublicæ jura devenerant, confirmaret. Interim ſibi occurrere è veſtigio conſpicit Turcam quemdam poſtulatum, ut mitteretur bona fide homo ad Nemus, ultra Abiæ Arcem, quod vulgo dicitur Aſprocorna, cum quo Saban Baſsà magni momenti res conferre poſſet. Quò ſtatim Aloyſium Fortem prudentia, & dexteritate Virum mittit Imperator, qui ut ad littus pervenit, albo vexillo expoſito conſpicit adventare virum ſenem obequitantem; qui, ut ab equo deſiliit ſic, Aloy-

ſium

ſium affatus eſt; ſe mitti à Duce Baſsà Nixi degente ſex millibus paſſuum ab Abiæ Agro diſtantis, honeſtas pacis conditiones ab Imperatore Veneto petitum, quas obfirmandi ab Aula Bizantii ſibi jus erat. His omnibus Mauroceno delatis, reſpondere imperat ſe ab Senatu Veneto geſturum bellum miſſum, non pacem quæſitum. Hiſque reſponſis, aliquo munere interjecto, res dimiſſa eſt. Comperiit ex his Imperator poſt Abiæ fugam, collectis militibus in viciniis Baſſam adhuc degere, à quo loco ut ſubmoveret, ne, abſente tota Claſse, aliquo Oppido potiretur, proras vertit ad Leucadæ Inſulam; quas ut Turca conſpexit, in Neupacti, & Patrarum agros commigrat, ac ſe recipit. Inita jam hyeme, vela faciens Corcyram, tertio Idus Novembris, prę teriens in Gomenizziarum littora imperat deſcenſum fieri ſub Equite Alcenago Duce Belli, ex altera parte juſsus Claſſis Gubernator verberare tormentis Arcem in Epiro duodecim milliaribus à Corcyra.

Milites omni feſtinatione inſequi hoſtes, illos agros permeantes; at illi, recuſata quacunque diſceptandi aperto marte occaſione, per ſubterfugia, ac aſperum montis dilabentes, vixque Baſsà fuga elapſo, Oppidum Venetis ceſsere. Quod Ducibus incendendum placuit.

Senatus autem, acceptis de tota re bellica nuntiis, cupiens omnibus ſuffragiis erga Duces, qui ſtrenua geſserant, grati animi ſignificationem conferre, non eos tantum compoſitis literis, ſed regalibus donis commendavit. Eques Alcenagus meruit majora quam antea ſtipendia, & Marchio Corbonus majori titulo inſigniri. Ac Principi Duci Erneſto de Branſuich Veneta Munificentia ſtudebat, qui in omnibus Cretici, Peloponnèſiq; belli eventibus, mi-

H lite

lite, armis, filioque ipſo Principe Maximiliano Gulielmo ſemper Rempublicam adjuvit, à qua poſtea Maximilianus filius ſupremus ordinum Dux delectus, ſtipendiiſque Reipublicæ ſex millium ducatorum auctus, amoris ſignificationem expertus eſt. Nec prætereundam magni momenti rem cenſeo, quo Veneta arma magis eluceſcant, atque eorum, qui ea dignè geſſere, meritum conſurgat; Hoc eſt nulla hominum memoria expeditionem contigiſſe, ut diſtenta Veneta virtus tantis, variiſque bellis Othomannicam Claſſem propellere potuerit, & prohibere, quin exſcenſionem faceret, neque Tinum, Cherſoneſum, vulgo Spina-longa, Cytheram, aliaſq; Veneti Dominii Inſulas occuparet, quibus præerat Petrus Quirinus extra ordinem Præfectus, apprimè rerum Turcarum imbutus, nec minus eorum idiomatis gnarus: Immò Turcicas Naves metu perterritas ne dare quidem ſe in Venetorum conſpectum unquam auſas fuiſse; Quia juſserat Imperator diſpertiri Venetam Claſsem his locis, quibus degere Turcæ conſueverant, ne (clauſo effugio) extinguendæ hoſticæ Claſſis, ac perficiendi belli, occaſionem amitteret. Quę juſsa ita opportunè ſunt executi Alexander Molinus Navium Architalaſsus extra ordinem, Daniel IV. Delphinus, & Petrus Duodus Navarchi, ut parvo negotio, ſed vividæ virtutis gloria Turcas profligaverint, atque cedere retro, Portuſque repetere compulerint, prohibentes, ab Aſia in Europam ſuppetias deferri.

His egregiis facinoribus non minus cæteris Bartholomæus Ruzzinus, Joſeph Civranus, Bartholomæus Gradonicus, Carolus Piſanus, & Antonius Paſcalicus Patritii Veneti honorarii Duces ſe inſignivere.

Finis anni M.DC.LXXXV.

Mi-

Militum conjuratio in Joſeph Mauroceni Nave repreſſa.

CORcyram tota claſſe in hyberna ab Imperatore deducta, quo exhauſtas longis laboribus vires reſtauraret, Senatus Navibus cum commeatu velificaturis Joſeph Maurocenum ſummæ prudentiæ, ac virtutis virum, qui profectione celerrima Peloponneſum petat, præfecit. Hic juſſis obtemperans abſque mora Venetiis ſolverat maximo Navium, militum, cæterarumque rerum apparatu. At medio itinere ſubitò jactatus horridis fluctibus, divulſuſque à cæteris, ab acriori ira immani internecioni ſubductus videbatur, nam milites, quos ducebat, nocte illuni à proprio Duce excitati fera barbarie meditati erant eum, Naviſque cuſtodes adoriri, & necare, ſpe, auro, cæteriſque bonis potiundi. Hoc facinus Maurocenum non latuit, ſed prudens vir, ne Regia Navis in extremum, ac non evitabile diſcrimen periclitaretur, omnia vix fortiter ad reſiſtendum diſpoſuerat, cum immanes milites, prævio tumultuario Duce, arreptiſque armis in Maurocenum, & cæteros ejus fideles aſſeclas (inter quos non pauci artifices Veneti Navalis Reipublicæ fideliſſimi) ſanguine, & cædibus graſſabantur. Tunc Maurocenus in puppi ſeceſſit, mori potius malens, quam conjuratis cedere prędonibus, cæteros confirmabat. Jam pugna ab omni parte conſerta erat, pro Veneto Duce Dux Navis, & Nautæ certabant, variaque fortuna multiplicem prælii faciem præbebat. Tandem in multum noctis producto certamine felix inſontibus illuxit eventus, & ab omni parte quà morte, quà ferro ſubactis latronibus; Dux

proditor ſauciatus, cum ſuis è Navi proſiliens infido mari voluit tumulari. Læta nimis hæc victoria Mauroceno fuiſſet, niſi hanc fortuna morte Hieronymi Beregani funeſtaſſet; qui juvenis magnæ indolis nihil habuit æquè in votis, quam generoſis auſis avitæ gloriæ Mauroceni æmulus ſtricto gladio occumbere, cujus interitus dolore maximo omnes afflixit.

Turcica expeditio in Venetos III. Nonas Aprilis. M. DC. LXXXVI.

MUltum interea Ducem Baſſam Pelopponneſi Seraſcherium intererat ineunte vere dignum aliquod attentare facinus, quo ſe à labe deperditę gloriæ ex oppidorum ſubreptione purgaret; Decem igitur peditum millia feſtinato colligit, cum mille, & quingentis equitibus, quibus quatuor Baſsæ præeſsent, inclinato animo ad Chielaphæ aggreſſionem, ut Leuctricos ſubigerent, & eos ab jurata Venetis rebus fide averterent, non procul ab Arce conſedit, explicatiſque Copiis ſuperbo faſtu Marinum Grittum Oppidi, ac totius Provinciæ præfectum vocat in deditionem, cui vir æquè virtutis, & animi conſtans, hoc reſponſum remiſit tanta dignum temeritate; Rempublicam Venetam, quæ ſibi defendendæ Arcis injunxerat provinciam, unà vires, animoſque contuliſse quibuslibet aggreſſionibus appoſitos, neminem defenſorum penes ſe eſse detrectantem aut decertare fortiter, aut mori feſtinanter: Deum juſtæ eorum cauſæ adfuturum ſcire, in omnique felici Venetis eventu nullam ſuę altiſſimæ potentiæ vim adverſari poſse oſtenſurum. Hoc reſponſo percitus ira Barbarus jubet ſtatim

ſex tormentis Arcem vexari. Grittus tamen omnia invictè præſtabat ad inimicorum conatum refellendum. Decem dierum ſpatio ingentium pilarum diſploſione ita quaſsata, & aperta fuere mœnia, ut latè ingruentibus præberent aditus. Hi Barbarorum conatus interim eminus excivere Hieronymum Cornelium trium inſularum Præſidem, qui collectas Corcyra, & Peloponneſo copias, quas ſors tunc obtulerat, Laurentii Venerii Navibus ad Urbem obſeſsam opportunè detulit, ut laboranti Oppido ſubſidio eſset, pauloque poſt ſupervenit Imperator III. Kalendas Aprilis cum Triremibus indicens exſcenſionem illicò quatermillium militum ſub Storf, Alcenago, & Andria Ducibus. Perculſus igitur Baſsà fama prævalidi ſubſidii à Mauroceno illuc deducti, adeſse omnem Claſsem veritus, Tentoria jam defixa, & tormenta inopinato referri jubet, &, dum præſidiarios Oppido prodire cernit, in fugam conjicitur, relictis in campo ſex æneis tormentis, & quadringentis ſauciatis militibus, præter eos quos inſequutus noſter equitatus interemerat. Baſsam tandem ignominia ſuorum interemptorum, & indignatio ſtimulat colligere diſperſos, & ſe in Gareniæ Agros recipere.

Pyli Caſtrum Venetis dimiſſum pridie Nonas Junii.
M.DC. LXXXVI.

JAm & hoc anno ut ubique Claſſicum canere eſt cœptum Chriſtianæ Claſses, & animis, & conſiliis concordes æquè imperio, & viribus ſatis firmę ad opem ferendam, & clades ubique Turcis minandas ſe expediere. Jam Corcyram Auxiliares pervenerant, jam Maurocenus ex conventis (ne res omit-

tere-

teretur, quod magni referret proſperis initiis incipi bellum) deflexit Magnæ Claſſis proras ad Peloponneſum, ut bellum illuc inſtauraret, quò fortuna ad præclariora geſta eum evocabat. Igitur commentitiis exſcenſibus pluribus locis factis, & præcipuè circa Ambracium ſinum: Quinto nonas Junii Conſilium Maurocenus, & Duces capiunt adoriendi Pyli Caſtri, licet aliquibus ejus aggreſſio difficillima videretur, cum eſset ſcopulis inacceſsum Oppidum.

Hic autem ex mandatis, Navagerius extra ordinem quinqueremium Dux, Carolus Piſanus cum aliquibus Navarchis, in unum majora ligna cogunt, & ut prope Caſtrum perveniunt, jubentur Scaphis legiones in continentem trajicere, quibus ſine impedimento expoſitis, & à Comite Chinixmarch, ſpecie magnæ attentionis, in prælium inſtructis, obſeſſorum animus metu exterreri jam videbatur. At Maurocenus, antequam vi aggrederetur, ſtatuit de more evocandos ad deditionem, hi ſpatium noctis ad deliberandum petere cum reſpondiſſent, & mane facto rei moram protraherent, ratus Imperator tempus eos terere, in expectationem ſubſidii à Seraſcherio adducendi (quem non longè cum pluribus copiis abeſſe fama vulgaverat). Inde protinus inſtandum timori, & admovendam vim mœnibus ratus, mandat Chinixmarch ad Oppidum cum magna manu accedere, eodem momento in ſcopuli partem, qui portum efficit, copias inferre, ac à mari Naves cum tormentis accedere, ut obſeſſi intelligerent omnem Venetam vim experturos. Turcæ verò perciti metu album vexillum oſtendunt, & ad Imperatoriam triremem mittunt quoſdam pacta de deditione acturos, quibus Maurocenus egreſſum Oppido cum armis, & impedimentis conceſſit, ac

Na-

Naves, quibus Alexandriam veherentur, ſicut ipſi cupierant, permiſit. Egredientium Turcarum quadringenti fuere, ex quibus centum armati, ad loci defenſionem juſtum præſidium; cum eſſet Oppidum ſatis natura munitum, ut diximus.

Cum Arce, 43. æneis tormentis, & ſuppetiarum copiis potitus eſt Imperator. Cui ordinarium curatorem deſtinavit Petrum Gironum Patritium, & ad armorum adminiſtrationem delegit Antonium Antoninum cum centum quinquaginta militum præſidio.

Novi Pyli, vulgo Navarini, deditio. Junii M. DC. LXXXVI.

HIs rebus proſperè geſtis audax Mauroceni animus alius Pyli Urbis caſum protendit; Hujus Urbis difficillima viſa expugnatio, niſi Portus oſtio intercluſo, facilè tormenta, mortaria, quæq; uſui eſſent, deferri in campum poſſent. Ab ipſo igitur recenſita Claſſe, & rebus ſtudio diſpoſitis, pridie nonas Junii, noctis ſilentio, primæ omnium Portum ingrediuntur immunes Donati, & Pizzamani Trierarchæ Triremes, quarum altera ferebat Ducem Chinixmarch; nocte altera eas conſequuntur Sanutus freti Cuſtos cum quatuor Trierarchis. Octavo denique Idus Junii Cornelius trium Inſularum Præſes cum quatuor Triremibus ingreditur, quarum una non omnino illæſa Bombardarum ictibus, fractis aliquot remis.

Interim tormenta, remigum opera è Triremibus educta, omnibus opportunè rei peragendæ appoſitis, ad Pyli novi oppugnationem traducuntur, ſubitaque aggreſſione tentatur Urbs ſub Daniele Del-

Delphino, Philippo Maria Paruta, & Angelo Emo Ducibus, cum Petro Baſadonna; qui omnes ad nutum Chinixmarch ſuas vires, & virtutes exercebant; Ille opportunis locis duo de viginti mortaria diſponere operarios caſtrametantes jubet, alibique tormenta numero viginti, excitatis aggeribus, locare, ut hæc, mortariis deficientibus, ſupplerent. Alias interim copias ex Corones ſuburbio collectas à Benzonio extra ordinem curatore properari voluit ad augendas Venetas vires. Dum hæc in Campo agebantur, intercipiuntur litteræ à quodam Grajo Civitate digreſſo delatæ, quibus Seraſcherium præſidiarii ſollicitabant, ut celeriter, quoad fieri poſſet, cum militibus illuc ſuppetias ferre contenderet; ex ipſiſque innotuit paulo ante Saffer Baſsam ſtrenuum Ducem cum ſubſidiaria manu Urbem intraſſe, mille militum vi munitum. Igitur Chinixmarch, qui omnia tolerabilius, quam moram perpeti poterat, veritus, ne cunctando, Baſsà imminentem ſubriperet victoriam, inſtructa agmina ſub claris Ducibus educit, ad ſubmovendos hoſtes, quinto ab Urbe milliario caſtrametatos, qui noſtrorum aſpectum paventes, extemplo in fugam dilabuntur, incertum adhuc an obſeſſis opem ferre mallent, an obſidentes noſtros excurſibus defatigare. Regreſso ad ſua ſtativa Chinixmarch, antequam inſtitueretur aggreſſio, Maurocenus cenſuit albo vexillo explicato mitti Virum linguæ Turcicæ gnarum nomine Ghirardum, ut obſeſsos ad honeſtam deditionem hortaretur, priuſquam ipſe ab coactis (exemplo Corones) pœnas obſtinationis expeteret. Ex reſponſis autem compertum fuit, eos malle glorioſa morte occumbere, quam Civitatem quoquo pacto reddere, tunc fultos ſpe maximi auxilii, à Seraſcherio illuc feſti-

feſtinato invehendi. Ex his conſtantior Imperator, ſuis conatibus, majori vi Urbem concuti curabat, adeo ut diligentia Comitis Sancti Felicis Mutonii, iteratis ictibus, continuo ſtrepentibus machinis ad ruinam mœnia pertunderentur. At idibus Junii relatum eſt adventare Seraſcherium, Magnarum virium copiis ſuffultum, & non plus quinque milliaribus abeſſe. Statim igitur conſtitutum fuit, hoſti occurrendum, eumque inde aperto marte arcendum. Jam obſidionis cura vigilantiæ, & virtuti Alcenaghi demandata, Chinixmarch manus conſerendi cupidus ibat cum ſuis quæſitum hoſtem, quem Decimo Octavo Kalendas Junii exurgente aurora eminentiori loco inſidentem conſpexit militum decem millium auxilio validum (inter quos mille equites) congredi præſtolantem. Jam Veneti pugnam petebant intrepido animo loci iniquitatem compenſaturo, dum per anguſtum iter tranſire cogebantur ad magnam Vallem, in qua Turcæ inſtructis agminibus degebant. Hic compoſitæ acies in pugnam audaciſſime congrediuntur. Per duas horas dubio marte certatum, omnis Turcarum impetus Corbonis, & Vicecomitis agminibus imminere videbatur, at, qua furenti vi hi in hoſtes proceſſerint, ex eo credi poteſt, quod longo congreſſu tandem Turcæ cœperunt trepidare, fluctuare, pavidi labi in fugam, eorum numero quingenti cecidere vulneribus confoſſi præter tentoria, impedimenta omnis generis capta, pariterque Seraſcherium cum non paucis ſuorum ad mortem ſauciatum.

Qui ſe hoc facinore inſignivere fuerunt Chinixmarch conſtantem animum nunquam deſpondens in omnes eventus, ſed ad omnia dirigenda intrepidum, ſollicitumque ubiq; præſtans: Et Daniel IV. Delphi-

nus, quò neceſſitas urgebat, accurrens à Philippo Maria Paruta, & cæteris quinque Patritiis Ducibus indiviſibiliter inſociatus, qui præcipuè machinarum curam egit hoſtem verberando. Pariter Princeps Turena magnis virtutis auſis cum Angelo d'Andria ſtrenuè certavit.

Tota tamen Chriſtianorum Acies feſtivis ictibus, & vocum præconiis victoria conclamata eſt, quæ noſtris animum, obſeſſis deſperationem ingeſſit. Quamvis tamen, fugatis Turcis, eorumque turbinibus disjectis liberum ſuis ad aggrediendam Urbem iter ſtraviſſet, Maurocenus imperat denuo acciri ad deditionem obſeſſos, antequam acrius premerentur, hoc unico monito, non aliunde ſubſidia, quam à ſua clementia opperiendum; fidererit dedendo ſe æquas conditiones conſecuturos. Poſt varia inter ſe diſcrimina deditionis conſilium ineunt obſeſſi, qui, ad egrediendum Civitate tribus diebus ab Imperatore conceſſis, ad ſatisdationem quinque obſides mittunt. Dum hæc agebantur, tormentarius pulvis ejus Domus, qua aſſervabatur, concepto igne eructans muros eliſit, adeo ut horribili fragore tota Urbs contremuerit, & tantis ruinis, ſeu quodam deſtinato fulmine; centum quinquaginta Turcarum cum Seffer Baſsà Ducum principe, & ſex Chriſtiani extra Civitatem corruerint. Metu trepidi Turcæ, ne ipſos Veneti criminarentur mittunt duos juſtę cauſę cautores Urbis vexilla, & Claves ad pedes Imperatoris ferentes, à quo perhumaniter ſuſcepti, hoc reſponſo; id ratum ſibi eſſe, quod affirmabant, remittuntur.

Sunt, qui aſserunt Seffer Baſsam Urbis præfectum ſuo commento talem ſibi mortem contexiſse, ne apud ſuos capite ignominiosè plecteretur, aut Venetorum mancipium evaderet.

In

In Naves tandem trium militum millium conſcenſio facta eſt; inter quos armatorum mille, omnes ex compacto Alexandriam trajecti. Decimo ſexto Kalendas Julii in Novi Pyli poſſeſſionem Maurocenus triumphantis more, cum Chinixmarch, & cæteris terræ, mariſque Ducibus, ingrediuntur; cui lætis circumquaque vocibus, Veneti gratulari victoriam; atque Veneto Imperio totius Peninſulę poſſeſſionem ominari audiebantur. D. Marci Vexillo in mœniis expoſito, gratiæ Deo ſolutæ ſunt in Meſchita, quam tunc in Delubrum verſam, Divo Vito ſacraverant, cujus feſtiva die, Civitate tàm celebri cum inſigni portu potiti fuerant.

Urbi Petrus Baſadonna extra ordinem præficitur, & ordinarius Præfectus Stephanus Lippomanus deſtinatur, uterque prudentia, & fortitudine præſtantes. Munitiones, & tormenta, quampluri-ma inventa fuere, quæ ex æquo loci ſecuritati reſpondebant.

Methonis Civitas Venetis tradita.

POſt captum Pylum converſis juſſu Mauroceni copiis ad Methonis Urbem (ab illo decem milliaribus diſtantis) ſub Chinixmarch cura, & imperio, illic decimo Kalendas Julii caſtrametatur. Jam inſtructis agminibus indixerat irrequietis aggreſſionibus Civitatis mœnia impetere, & grandioribus machinis concutere. Sed, antequam aperta vi aggrederetur, placuit Mauroceno evocari obſeſſos in deditionem; cui barbaro faſtu Baſsà parere renuit: ſtatim Venetus Imperator jubet cuniculis, terreſtribus machinis concuti Urbem, & terreri obſeſſos. Verum ei pietati, quæ nunquam à genero-

nus, quò neceſſitas urgebat, accurrens à Philippo Maria Paruta, & cæteris quinque Patritiis Ducibus individiſibiliter inſociatus, qui præcipue machinarum curam egit hoſtem verberando. Pariter Princeps Turena magnis virtutis auſis cum Angelo d'Andria ſtrenuè certavit.

Tota tamen Chriſtianorum Acie feſtivis ictibus, & vocum præconiis victoria conclamata eſt, quæ noſtris animum, obſeſſis deſperationem ingeſſit. Quamvis tamen; fugatis Turcis, eorumque turbinibus disjectis liberum ſuis ad aggrediendam Urbem iter ſtraviſſet, Maurocenus imperat denuò acciri ad deditionem obſeſſos, antequam acrius premerentur; hoc unico monito, non aliunde ſubſidia, quam à ſua clementia opperiendum; fiderent dedendo ſe æquas conditiones conſecuturos. Poſt varia inter ſe diſcrimina deditionis conſilium ineunt obſeſſi, qui, ad egrediendum Civitate tribus diebus ab Imperatore conceſſis, ad ſatisdationem quinque obſides mittunt. Dum hæc agebantur, tormentarius pulvis ejus Domus, qua aſſervabatur, concepto igne eructans muros eliſit, adeò ut horribili fragore tota Urbs contremuerit, & tantis ruinis, ſeu quodam deſtinato fulmine; centum quinquaginta Turcarum cum Seffer Baſsà Ducum principe, & ſex Chriſtiani extra Civitatem corruerint. Metu trepidi Turcæ, ne ipſos Veneti criminarentur mittunt duos juſtę cauſę cautores Urbis vexilla, & Claves ad pedes Imperatoris ferentes, à quo perhumaniter ſuſcepti, hoc reſponſo, id ratum ſibi eſſe, quod affirmabant, remittuntur.

Sunt, qui aſſerunt Seffer Baſſam Urbis præfectum ſuo commento talem ſibi mortem contexiſse, ne apud ſuos capite ignominioſè plecteretur, aut Venetorum mancipium evaderet.

In

In Naves tandem trium militum millium conſcenſio facta eſt; inter quos armatorum mille, omnes ex compacto Alexandriam trajecti. Decimo ſexto Kalendas Julii in Novi Pyli poſſeſſionem Maurocenus triumphantis more, cum Chinixmarch, & cæteris terræ, mariſque Ducibus, ingrediuntur; cui lætis circumquaque vocibus, Veneti gratulari victoriam; atque Veneto Imperio totius Peninſulę poſſeſſionem ominari audiebantur. D. Marci Vexillo in mœniis expoſito, gratiæ Deo ſolutæ ſunt in Meſchita, quam tunc in Delubrum verſam, Divo Vito ſacraverant, cujus feſtiva die, Civitate tàm celebri cum inſigni portu potiti fuerant.

Urbi Petrus Baſadonna extra ordinem præficitur, & ordinarius Præfectus Stephanus Lippomanus deſtinatur, uterque prudentia, & fortitudine præſtantes. Munitiones, & tormenta, quampluri ma inventa fuere, quæ ex æquo loci ſecuritati reſpondebant.

Methonis Civitas Venetis tradita.

POſt captum Pylum converſis juſſu Mauroceni copiis ad Methonis Urbem (ab illo decem milliaribus diſtantis) ſub Chinixmarch cura, & imperio, illic decimo Kalendas Julii caſtrametatur. Jam inſtructis agminibus indixerat irrequietis aggreſſionibus Civitatis mœnia impetere, & grandioribus machinis concutere. Sed, antequam aperta vi aggrederetur, placuit Mauroceno evocari obſeſſos in deditionem; cui barbaro faſtu Baſsà parere renuit: ſtatim Venetus Imperator jubet cuniculis, terreſtribus machinis concuti Urbem, & terreri obſeſſos. Verum ei pietati, quæ nunquam à genero-

ſo ejus animo exturbabitur, indulgere placuit, deditionem obſeſſis ſuadendo. Sed omnia refellentibus barbaris, fracta falſo commento fide perhumaniter agere neſciis, Maurocenus magis ad iram incitatus, continuò ſuis imperat, ut novos deducerent aggeres, cryptas effoderent, in tumulis obſidionalia tormenta exploderent, & Mutonus celeberrimus, miſſilia in Urbem jacularetur. Ideo vario, & acri bellandi genere penè conſumpti obſeſſi, Octavo Idus Julii per albi vexilli ſignum deditionem noſtris offerunt; ac his conventis Urbem Victori tradunt. Quatuor millia, ex quibus mille bello apti Methone exiere, cum impedimentis Barbariam ducendi.

Inventa centum tormenta ænea, præter omnis generis ſubſidia. Cui Civitati Philippus Paruta preficitur, cum Thoma Barbaro: Chiliarca vero Gratianus ſtatim mittitur Venetias nuntiatum Victoriam.

Multiplex in Mari cum Turcis dimicatio.

DUm Turcicum agmen ſuis Navibus numero decem, & ſeptem, Syria Bizantium velificaret inter Nixiæ, & Nicariæ Inſulas barbaricis mercibus ornatiſſimum, à Laurentii Venerii nunquàm ſatis laudati Navibus, adverſis ventis jactatum impetitur. Sex horas continuatis jaculationibus pugnatum eſt; Sed undique à noſtris circumventos ingens metus Turcas corripit. Minores Naves noctis beneficio nactæ effugiendi locum ſe ſe ex acie proripiunt; cætere turpiter fugiendo intra Rhodi portum latitant, quo duo millia militum ſubiere, ducenda in Peloponneſum, quamvis juſſiſſet Babà Baſsà, qui il-

lo

lo facinore poſtea occubuit, inde non diſcedere, niſi ipſis nova mandata edicerentur. Venerius invicti animi Vir ſuarum Navium damna, quæ in congreſſu ſubierat, in Triò Portu Inſulæ Paris reſarcit. Rhodum dum petit, eminus Magnam Navem, Navigium, & Cęlocem inimicam aſpiciens, machinarum ictibus irrequieto curſu inſequitur, adoriturque nunquam ceſſante verberatione; quarum prima fugiendo in arenam impegit quaſſata, & incenſa, magnis gazis onuſta ſervatis centum quinquaginta, quos ferebat. Duas alias procedente curſu Veneti occuparunt. Una Navium interceptarum inventa eſt Venetæ ſtructuræ, cui nomen S. Joſeph Altare, olim à Barbaris capta cum magna mercium copia; quam Maurocenus Navarcho Prætoriano Silveſtro deſtinavit regendam.

Naupliæ expugnatio. *Anno M.DC.LXXXVI.*

MAurocenus Imperator expugnato ingenti gloria Methone, novarum cupiditate victoriarum exæſtuans, ne abire gerendæ rei tempus ſineret, protinus ad Naupliæ aggreſſionem Ducum conſenſu dirigi arma decrevit. Urbs hæc olim ſæpius à Barbaris vexata, nunquam, niſi deditione ſubacta. Promulgata igitur fama ſubeundæ Patrarum aggreſſionis Maurocenus terreſtrem exercitum cum impedimentis, tormentiſque bellicis Naves conſcendere cum juſſiſſet, ſecunda navigatione pridie Kalendas Auguſti Tollonis ſinum tenuit, ac ducentos pedites, equiteſque viginti, ne à Turcis exſcenſio exercitus turbaretur, è Triremibus in terram expoſitos, & nocte intempeſta tranſmontanos cum impedimentis campeſtribus ad ineundum facinus Chinixmarch pruden-

tiſſi-

tiſſimus Vir tuto conſilio detractos ad Palamedis Collem (qui ictu bombardæ à Nauplia diſtat, eique ſua altitudine dominatur) occupandum mane præmittit, ut interceptis, quos eis ſors obtuliſſet, Urbis ſtatum, vires, hoſtiumque conſilium explorarent. Illuc paulò poſt tota Claſſis, quæ Triremes tardiori curſu ſequebatur, pervenit. Ibidem omnes ſuas copias, tormenta, & quæ uſui eſſent, præter opinionem, nemine impediente, expoſuere. Quod Venetis, ſeu id ex paucitate, aut metu Turcarum contigiſſet, magnam victoriæ fiduciam fecit, & ſpei quam maximę argumentum. Caſtris igitur inde ad Ædes uſque, quæ ſuburbium conſtituunt, protenſis, ſtatim conſulitur de Civitatem aggrediendi ratione, (quæ arduæ expugnationis videbatur, cum eſſet non tàm armis, quàm operibus undique inſtructiſſima,) ne in ancipitem caſum ſuarum rerum Veneta Virtus exponeretur. Hæc impoſita eſt parvo Promontorio, quod ad ſeptem millia paſſuum in circuitu extenditur, & longius ſe ſe arduum, & ſaxoſum in mare protendit. Huic à terra, & à mari Arx imminet: Urbs ipſa parva foſſa, muro quadratô ex lapide, & crebris Turribus vetuſtæ ſtructuræ opere communitur; ad dexteram Urbis ſinum longo tramite Portus claudit, ab una parte Arx ita eminet, ut Naves, niſi propter ipſa propugnacula, intrare Portum non poſſint, in ipſiſque faucibus duplici caſtello ad hoc ipſum, ut catenam, qua obſtruitur Portibus, ſuſtineat, conſtructo, firmatur. Omni bellico apparatu referta, & tribus militum millibus tutiſſima, invincibilis putabatur. Hæc metropolitana non ſolum Saccaniæ Provinciæ Civitas, ſed totius Regni Regia, & caput appellatur, poſtquam catholica fides ea gentium loca tenuerat, ſæpius tentata, eam ſo-

ſolum amittendi nimia trepidatio continuerat. Hæc anno M.D.XLII. callido cujuſdam arcana Reipublicæ prodentis aſtu ab Veneto Legato, invitè tamen, Sultano dira minitanti tradita eſt. Civitas ipſa ab Primoribus Turcis putabatur ſubigi neſcia, quia à natura Promontoriis, ab arte terra, marique undequaque communita. His commotus Imperator, bellum eò acerrimè intendit, ac circum Urbem caſtrametatus, fovea ſua caſtra communit, ut ab externis aggreſſionibus defenderentur. In ſummo Collis vertice duo propugnacula conſtituit; ex his muros, & Turris proximæ muris latus infirmius verberabat, à mari eodem die, quarto ſcilicet nonas Auguſti, pilarum grandine Civitas petebatur, atque ſuperveniente S. Felicis Comite, cum igniariis Navibus (vulgo Palandre) ex his ingentibus pilis tantum incendium injecit in Urbem, ut undique arderet, & obſeſsorum corpora paſſim conciderent, non ſine noſtrorum mœrore, quærentium illam Urbem deleri præcipuarum victoriarum futuram gloriam.

Interim non deſiſtere noſtri aſſiduis ictibus defatigare obſeſſos, & externa manu Turcas avertere, ne deferrent auxilia præſidiariis, ſtudentibus Venetas munitiones vexare, & nocturnis irruptionibus ſtationes urgere. Cæterum Seraſcherius collectis undique copiis, quę numerum ſex millium explebant conabatur perrumpere obſidionalia caſtra, & ingreſſum Urbis ſibi aperire, tùm gladiis à terra, tùm ſcaphis radentibus littora, ex quibus per quietem tercenti ſunt introgreſſi milites. Huic ſagaci commento impoſterum proviſum myoparonibus, & triremibus, quę maritimos tranſitus ad Urbem obſtruerent. Spes inde proximi auxilii ad novas irruptiones

nes accivit Urbis pręſidium; quod à noſtris, magna edita clade, terga dare, atq; in turpem verti fugam cogitur, & in Urbem redire. Dum hęc agebantur, ab Arcis transfuga, & ab ſeptem Graiis ad Imperatoriam progreſſis defertur Seraſcherium copiarum agmen ab Ægeo opperiri: triginta duas triremes Othomannicas ex Rhodo Scium jam appuliſſe, cum tribus millibus militum: & inde Mehemet Baſſam ſeptem Triremibus à Claſſe digreſsum in Peloponneſo quingentos pedites deponendos trajeciſſe: Ducemque Baſsam cum reliquis, ut vocant, Baileribus munitiones, & cæteras militum manus Peloponneſi ſecuritati detuliſſe. Hic veræ rei nuntius Melitenſes, Pontificias, & Hetruſcas Triremes, ad magnæ gloriæ auſum extemplò concivit, annuente illis Veneto Imperatore; qui Triremium agmen conceſſit ipſis adnectendum; dùm omnes è portu incipiunt ſolvere, nuncium effertur ſeptem Turcarum Triremes, poſt quam navem Venetam non longè ab Athenis in caſſum fuiſſent aggreſſę, milites, quos ferebant, depoſuiſſe, eoſque veritos, ne à noſtris interciperentur, Scium transfretaſſe: Itaque è manu elapſa hac hoſtem intercipiendi occaſione, tota Conſultatio impigram Urbis aggreſſionem maturavit. Cenſuitque Maurocenus, ut, antequam Seraſcherius viribus invaleſceret, quoquo loco conſiſteret, oppugnaretur. Expoſitis igitur copiis nemine impediente; cum exercitus omnis inventus eſſet armatorum viginti millium, in quibus Epirotarum, Melitenſium, Hetruſcorum decem millia, equorum duo millia, cum jumentis, & mulis ſarcinis ferendis, duo millia data ſunt Equiti Alcenago, & Comiti Ripeta, ille juſſus ſubterraneas offenſas explorare, hic caſtra tueri. Quarto nonas Julii ſub no-

ctis

ctis ſilentio, Dux Chinixmarch iter maturat ad Agri planitiem, in qua hoſtis caſtrametatus erat; interim duo millia mittit parvis navigiis in oram, quæ ad hoſtium caſtra intra montes ducebat, juſſa tunc eorum terga armis adoriri, quum noſtra agmina cum ſuis conſeruiſſe manus conſpicerent.

Hæc omnia noſtris pervia, ni detecta fuiſſent Seraſcherio à quodam noſtri Ducis famulo. Prima igitur luce inſtructis agminibus, conſpicitur hoſtis Venetorum adventum opperiturus; Hinc ortum certamen eſt inter quoſdam ex noſtris, & magnam equitatus Turcarum turmam, ſed invaleſcente pugna accedit Ambracii Baſsà cum mille octingentis equitibus, & octingentis peditibus, quem Seraſcherius protinus conſequitur, qui, ſuis in duas alas diviſis, aperto marte noſtrorum agmina circumveniunt, ac ipſis pugnam offerunt; quam Dux Chinixmarch, potius ſuos ad vincendum, quam ad bellandum hortando, ut offenſiones in hoſtium damna converteret, ità optimè diſpoſitis agminibus, ut fortiores debilioribus opitularentur, ſtrenuè ſuſtinuit; ad duas horas acre certamen progreſſum; cum vero Turcæ ab exploratoribus pro comperto haberent, ex Leuctri partibus illuc Venetos ad mille jam paſſus progreſſos, veriti ne inopinatò aggrederentur; cedere acie ſtatuunt, confusè tamen, ut fugientes à noſtris vulnerati, vel cæſi, quamquam ad repellendam vim, ſæpius fruſtra in perſequentes obverſi; tandem Argis cum impedimentis recepti; Seraſcherius ad Corinthum proceſſit, ubi adeſse auxilia putabat Venetis objicienda, & ad obſeſſos feſtinanda. Profligato externè, atque ita fracto hoſte: cuncta deinceps proſpera noſtris fore videbantur; Hinc Chinixmarch ad barbaras exuvias colligendas parumper immiſſo

exercitu, ipſum collegit, & ad Argorum aggreſſionem proficiſcitur. Hæc Arx in Collis cacumine ſita eſt, aſcenſus ardui, cujus radices ſuburbium occupat; ligneis Domibus apta terra contectis ipſa completur, in quibus Incolæ (jam expulſi) cœli gravitatem hyberno tempore vitabant. Olim potens, ac magna Civitas, nunc nomen tantùm propriæ gloriæ ſuperſtes. Hæc non longius quinque milliaribus Nauplia diſtat, quæ Ducum aſpectibus, & victricibus legionibus incunctanter ceſſit; hac conditione: Corinthum ducendos Turcas. Octo majora tormenta, decemque minora inventa ſunt, cum ſeptuaginta cadis pulveris. Hæc victoria parvo numero noſtrorum ſtetit, ſed maximè illuſtrata Seraſcherii fuga, ducentorum ſuorum ſtrage, Ducum Branſuich, & Turenæ, ac cæterorum fortibus auſis, quos nominatim recenſere, arduum eſſet, inter tot nationum genera, quibus Veneta agmina conſtabant. Inter captivos Seraſcherii interpres recenſitus, qui Mauroceno aperuit, primis pugnæ congreſſibus Ambracii Baſſam decertando occubuiſse, cujus internecioni Turcarum fuga ſucceſſerat, confirmavitque ab Eubœa Naupliam validiorem manum adventuram, qua Turcæ omni niſu obſeſſis auxilium deferre decreverant. Poſthabita autem, Turcicam Ducis Baſſæ Claſſem perſequendi, ſententia, unum premendi acriori obſidione Urbem Conſilium agitabat, ratus ſuperventuram proximè hyemem Auxiliaribus diſcedendi facultatem laturam, Turciſque faciliorem viam in dies ſubſidia obſeſſis comportandi, facturam. Statim igitur ad oſtentandos lætæ felicitatis ſucceſſus innixa haſtis capita, in obſeſſorum conſpectibus imperat extolli, ut ex funeſto ſuorum ſpectaculo, & ex literis prolatis, ſe dederent; Sed Dux Baſsà, nec minis

nis territus, nec cruento motus commento, ſe, reſpondit, Dei tutelæ, & invictæ Turcarum conſtantiæ niti, omnium periculorum immemorem, certum mortis diſcrimen ſubire malle. Itaque ſtatim mandat Fauſtino, & Carolo Ripa, atque Benedicto Bollano Imperator, omnem in externas munitiones jugi Bombardarum, ac ignitarum pilarum exploſione, vim feſtinare, adeo ut parvo tempore multa cæde, & Urbis jactura, præſidiarii exanimarentur, & hoc maximè, cum pila igniaria in Arcis partem cecidiſset, in qua ſulphureus pulvis aſservabatur, cenſuere ex hoc veluti terræ-motu Promontorium contremuiſse, multorum ſuorum ſtrage, ac interitu, patuit, Navigia in mari, vicinorum quoque Oppidorum ædificia, ea flammæ violentia concuſsa nutaſse: collapſas murorum ruinas, Puteum aqua dulci manantem, maximum obſeſsorum allevamentum, infarſiſse. Crebræ propterea utrinque fiunt irruptiones, & eruptiones, varia plerumque fortuna; Nauplii interim è mari navalibus machinis, à terra quoque moleſtiſſimè cuniculis, vexabantur. Pluribus diebus petita Urbe, antequam machinarum ictibus tota corrueret, mittitur iterum interpres ad Ducis animum tentandum, his verbis; jam temporis neceſſitati, & animorum fortitudini indulgendum: nunquam, vel ſero è Thraciæ confinibus ſupplementa ad Urbem ventura: abuti Chriſtiana clementia indignum: admonere ſe, ne pervicacis gloria conſtantiæ eo rem deducerent, ut omnes ſe ad unum uſq; præcipites ſuper Naupliæ caſum darent: arma, viros, alimenta, ſpemque auxilii jam defeciſse: unica igitur deditione fidem, vitam, libertatemque ſervarent. Reſponſum verò à Baſsà eſt, ex ingenitæ feritatis conſenſu; ſibi non videri ſe hoſtibus haud poſ-

ſe reſiſtere Urbe integra præſidio, Seraſcherium propè auxilia laturum, quibus fidem animo, animum militibus acceſsurum: accederent igitur ad mœnia, ſperare ſe ſuo exemplo hoſtibus metum, ſuis contemptum hoſtium facturum; quò potiſſimum, aut incolumes præſidiarii Urbe defenſa, magnis præmiis afficerentur, aut infamem ſervitutem decora morte præverterent; ſe poſthabitis obſeſsorum ejulatibus, Urbem defenſurum ad ultimum anhelitum eſse. His excitati ſermonibus Veneti in ipſam obſtinata vi defenſam, ferro, & igne perrumpunt, atq; aggreſſionem inſtaurant: quo tempore multi Pagorum, Villarumque proximarum Accolæ ſe Venetæ poteſtati ultrò ſubmiſere. Seraſcherius interim, adeo ſe apud Corinthum copiis refecerat, ut uſque ad noſtra Caſtra irrequietis excurſibus exturbanda perductis, magnam ſpem obſeſſis aleret. Urbs tamen quatefacta ictibus, perfractis domibus, imminutis nocturno, diurnoque labore præſidiariis, imbellium ejulatibus, & continua machinarum verberatione, cuniculorum quoque operibus ad foveam progreſſis, deditionis conſilium intra ſe coquebat. Interim Duodus Architalaſsus ex Mauroceni mandato Decimo octavo Kalendas Septembris, adverſus Termizzi Oppidum progreſsus eſt, centum quinquaginta Turcarum præſidio munitum, quod nec unicam bombardarum exploſionem ſuſtinuit, immò ſponte æquis conditionibus ceſſit, obtenta facultate obeundi, integra corporum incolumitate, relicto Oppido Græcis pacificè ad habitandum. Verum diutini labores, peditum morbus à fluxu, ſive diſsentericus, pabula equorum conſumpta, animum aggreſsoribus adimebant, obſidentibus auxilio erant, illi tamen poſt varios caſus per cryptas, ac profundiores cuniculos in

fo-

foveam Urbis irrumpunt, repulſis ſæpius Turcarum excurſibus, & eruptionibus. Hi munimentum feſtinanter in priſtinum reſtituere ſatagebant, noſtris aggreſſionibus fortiſſimè reſiſtendo, pleriſque per muros fortiter geſtis in ſpecimen roboris. Ad diem XIII. Kalendas Septembris proſperè obſidio progreſsa eſt, irrito hoſtium conatu, quia cautè verſantes tum Veneti in fodiendis caniculis, tum Turcæ in agendis irruptionibus, pauci ſunt hinc inde deſiderati. Turcæ ſuo externo equitatu noſtros ab obſidione avertere nitebantur, oſtentatione campeſtris pugnæ. Eodem ferme die meridiano tempore quingenti ſpectati roboris Prætoriani turbinis more Urbe exeunt, ac Italos ſauciant, ſed à Melitenſibus aggreſſi, confuſi, ac conterriti ad Urbem remigrant multa ſuorum ſtrage. Seraſcherius interim in dies viribus auctior, ſi qua irrumpere poſſet noſtra caſtra, omnia tentabat. Veneti in conantes ſubire, & adoriri noſtras munitiones, adeò æquali ſtudio ſe exercebant, ut parvo negotio Turcas ad ſuos gravi vulnere refugere compellerent. Attamen ab transfuga Grajo nuntiatum eſt obſeſsos adhuc ſpem fovere opperiendo auxilia ab Seraſcherio ferenda, maximè, quia Judæi hoc illis ſuadebant, & tacitis muneribus, ac officiis deditionem avertere conabantur.

Quapropter majori vi enormes machinæ in tumulis diſpoſitæ, irrequietis ictibus, fulminabant Urbem. Decimo Kalendas Septembris concubia nocte, dum noſtri nulla clade ſuorum, nulla rerum aſperitate deterriti incœpto inſiſtunt, imò cuniculos per foſſam fodere, ac agere in Urbem prætentant, ictu glandis Eques Alcenagus Veronenſis obſidionales acceſſus exploraturus, percuſſus interiit, ejus mors valdè omnes afflixit, qui toties experti erant inſi-

gne Ducis in conſiliis prudentiam, quoties in prælìis fortitudinem. Quo tempore multi ſtrenui Duces morbo naturali interiere, plurimi milites ægrotabant. Attamen acriori manu proſequebantur in Urbem impetus, qui eo proceſſere, ut Turcæ terra Urbis portam præcluderent, ſola ſpe nixi ſui exercitûs propinquitate, expectati, ut eos in libertatem aſſereret. Sed, ut obſeſſorum irriti conatus eſſent, imperat Maurocenus educi milites sè Navibus, & omnes Incolas ad arma paratos expedite inſtrui, ut Seraſcherio objicerentur, præſcius omni vi obſeſſis auxilia procuraturum. Sexto igitur Kalendas Septembris Seraſcherius omnia perſcrutatus, deluſus omni ſpe auxilii obſeſſis deferendi, inopinatò, quò venerat, remigrare ſe ſimulat, ut hoc vafro commento Venetos invaderet, antequam è mari eis auxilia adeſſent. Tertio tandem Kalendas Septembris, primo mane prope noſtros accedit, dirimens ſtudioſe ſua agmina, quæ ex decem millibus militum conſtabant, in duas alas, ad ſtativa ſervanda mille relictis, atque emiſſis per montium juga peditum copiis, in plano equitum turmis undique Venetos premebat; Sed undique fortiter exceptus, ſuorum multis ſauciatis; ex noſtris permulti cecidiſſent, niſi ad pereuntium voces accurriſſet Chinixmarch, qui per confertos hoſtium cuneos Honorariis militibus ſeptus, ruens, immiſſis Pontificiis, & Melitenſibus, ab omni parte ita Turcas repreſſiſſet, ut trepidantes, & fractos ad ſuos compelleret redire. Branſuichius, & Turena magni animi Principes, & omnes voluntarii Equites ſtrenuè decertabant, rati in hoc magno facinore Urbis fatum conſiſtere: quos Imperator Maurocenus ſequebatur, eductis è Triremibus epibatis, Imperii majeſtate poſthabita, undique non minus

nus quam cæteri, inſignia edendo exempla virtutis. At Seraſcherius, qui ſpecie fugæ, ac verſo itinere novam, graviſſimè laborantibus Oppidanis, opem ferre moliebatur; iterum credula ſpe ſic eſt deceptus, ut à noſtris circumventus retro abire coactus fuerit, &, quotquot palantes errabant, deſerere internecioni. Quadraginta fuere ſolo proſtrata cadavera, quorum capita haſtis infixa obſeſſis oſtentabantur, ut deſperato ſubſidio venirent in deditionem. Octingenta mancipia fuere remis admota. Noſtrorum centum ſexaginta inter mortuos, & ſauciatos numerati. Æques Bertanus cum quatordecim Melitenſibus interiit. Hæc proſperè geſta ut noſtris ſpem Urbe potiundi obfirmaverant, eò obſeſſis animum ademerant, qui fugatos ſuorum exercitus ob oculos conſpicientes, ad deditionem coacti ſunt, & meridie album vexillum expoſuerunt: Sed, ne de fraude noſtri ſuſpicarentur, tres ex primoribus Turcas miſere de Urbis deditione cum his acturos, qui porrecta Mauroceno Ducis Baſſæ epiſtola, in qua collaudata Veneta virtute, gloriabatur ſe Magni Ducis gloriæ Civitatem ceſſurum, tentarunt ea propter honeſtas pactiones quærere. Cum eodem igitur iis diu diſcuſſis, in has præcipuas conditiones facta deditio eſt. Præſidium omne cum armis, rebuſque ſuis militari more Urbe egrederetur, & octo dierum ſpatio in Naves conſcenderet deducendum in Tenedi oras. Græcis habitatoribus manendi libertas, ac res ſalvæ eſsent. Judæos ad arbitrium victoris ſervandos.

Hac deditione ſcriptis obſignata, pro Turcis, ob fidem, octo ſuorum primores in obſides dati ſunt, totidem tranſmiſſi Baſsæ, qui tertio Kalendas ſeptembris in Urbem Venetos admittunt, ubi Claſſis, & exer-

& exercitus lætitia omnes ominantes totius Peloponneſi, & Eubœæ, Veneto Imperio ſubjectionem, clangentibus tubis, concrepantibuſque tympanis, Triumphale Divi Marci Vexillum mœnibus extollunt. Interim quindecim Naves præſidio oneratæ, transfretandi cauſa, qui Venetis nunquam fedifragis ſe credebant. Præficitur interim Alexander Valerius cum Fauſtino à Ripa.

Hoc modo cecidit, Nauplia armis Venetæ Reipublicæ protrita, Imperio magni Ducis Franciſci Mauroceni, nomine, & rebus admirandi. Quę Civitas adeo copioſa populo extat, ut præſidio, quod decem millium explebat numerum, quindecim Naves vix ſuffecerint Tenedum trajiciendo.

Sed conſilio, & fortitudini omnia pervia. Venetiis allato nuntio, Patres pro lætitia perquam maxima indixere ſupplicationes: & univerſa Civitas hilaribus ſignis teſtata eſt, quanta in omnium animis præ cæteris victoriis, gaudia efferve cerent.

Caſtrum Scin obtentum. IV. Kalendas Octolris M. DC. LXXXVI.

NIl habet, de quo magis aliquando glorietur, quam æmulam ſuorum Civium Virtutem Reſpublica. Ipſa prorſus certaminum fax, quæ in Peloponneſo Maurocenum, Cornelium in Dalmatiæ Provincia æquo æſtu accendit. Hic Præfectus, & moderator, alterius æmula virtute impulſus, totuſque incumbens ad colligendas ex omni Provinciæ parte vires, ut Publicis rebus proficeret, inimicum contereret, & in regendæ Provinciæ adminiſtratio-

ne

ne pro religione, & Imperio, inclitæ virtutis, ac invictæ fortitudinis ſuæ documenta præberet: ſtatuit extemplò in hoſtes progredi, Scin expugnaturus: Arx eſt in montis aſpero poſita, cùm ob Naturæ, & artis munimenta nulli impar, tùm ob invadentium manus ſæpè repulſas, expertæ fortitudinis. Igitur ex Provincia undique peditum copias colligit, milites ex præſidiis legit, equites ſexcentos Ærariorum militum. Cunctiſque opportunè Salonæ diſpoſitis; inde omni militari inſtructus apparatu, decimo quarto Kalendas Octobris læto milite, ad Caſtri oppugnationem proficiſcitur. Duces ſecuti, Sereniſſimus Princeps Farneſius Peditum Dux, & Comes Sanctus Paulus tormentorum Præfectus, cum ſex tormentis, & numero cum mortariis non pauco pilarum ex iis miſſilium, quæ multum tarditatis, & moræ celeritati itineris intulere. Omni difficultate ſuperata ſe cum ſuis Caſtro Scin conſpiciendum dedit; ibique ſtatim mandat omnibus militibus caſtrametari, undique omni numero Oppidum obſidione cingere; & diſpoſitis ita rebus, diei ſummo mane in illud audaciſſimè prorumpere. Jamq; poſt crebram tormentorum exploſionem ad deditionem, ni extrema experiri mallent, vocati; Sibi æquè vincere, ac mori pulchrum, renuntiant. Inde (quod familiare Barbaris eſt) verbis vires augere; magnam ſibi in Virtute ſpem, magnam commeatus copiam; nec auxilio Herzegovinæ Baſſam ad hoc Duuni (abeſt à Caſtro iter unius diei) inſtructum, valida armatorum manu defuturum. Ubi hæc accepta Barbarorum vox, illicò pulſatum miſſilium jaculationibus eminus per quatuor dies Propugnaculum, ipſumque, quo belli moles converſa erat, per cuniculos intempeſta nocte everſum, nulla obſtante adverſario-

L rum

rum reluctantia, & aſtu proſpicientium palationibus, lapidibus, & terra ruinis, ſtatim proſternitur.

Itaque inſtructæ acies cum conſtitiſſent quarto Kalendas Octobris, condicta hora vigeſima, ſub auſpiciis Marchionis Borri ordinum ductoris, aderat enim ubique egregia ipſe Cornelius virtute, & Ducis Sancti Pauli, inopinato acceſſu mœnia aggrediuntur: talia agentibus præſidiarii viribus, & armis occurrunt, hinc inde obſtinata contentione altercantur, non ſemel undique repetitis conatibus, ad duas horas reſiſtentibus Turcis, ne ultra noſtri procederent, inimicos tandem armis, ignibus, lapidibuſque noſtri vicere, compulſos vi interiora munimenta petere, & Arce ſe includere; hinc Veneti Mœniis potiti (quæ ſunt totius Caſtri primum ſepimentum) repetitis congreſſibus per horam iterum dimicant, tandem poſt ſecundum aggerem ſtrenuè occupatum in Caſtrum irruperunt, itaque ira perciti omnes, quos intus invenere, ad unum obtruncant, ſervatis impuberibus, fœminiſque illæſis. Quid enim religioſa pietas contra innocuos infirmitate hoſtes ſæviret? Oppidi fatum, magna Regionis pars, quę fertilitate celebris uſque ad Cidenem amnem protenditur, ſecuta eſt: nec jam defenſioni par erat, præcipuè nunquam auſo Baſsà cum noſtris concurrere; nam neque aſpectum Venetorum ferens, promptior ad fugam, quam ad pugnam, ab oculis evanuit. His cruentis congreſſibus ad tres horas perductis inſignis multorum Virtus, ac militaris diſciplina innotuit, inter quos Saucii Chiliarca Spolverinus, & Machinarum Præfectus Camucius, quos pugnæ ſocios Tribunus militum Pizzamanus habuerat, nec minus Chiliarca Eques Cittadella, qui ſponte ſe ad prælium

con-

contulerat, lapidis ictu læſus, pulchræ Virtutis inſignia retulerunt.

Multos ex ductoribus, militibuſque deſideratos, ac prope centum quinquaginta graviſſimis vulneribus affectos, ferunt.

Inventis itaque in Arce quinque tormentis magnæ molis, Cornelius eam partem murorum, quę flammifera impulſa vi corruerat, reparandi curam amplexus eſt, ut contra hoſticos incurſus apprimè, & optimè muniretur.

Impar certamen cum Turcis.

LAurentio Venerio, qui, poſt captam Naupliæ Urbem, præſidium in Endimiri oram trajecerat, inde revertenti Turcica Claſſis objicitur, cum qua inito certamine, quarto Nonas Octobris, quamvis Veneti debiliores, & Navium, & Militum robore hoſtibus cenſerentur, à ſummo mane uſque ad noctem producto acri, & immani, nobilem victoriam de Turcis reportarunt.

Turcica claſſis conſtabat novem Sulthanis, & ſexdecim Triremibus; noſtra verò omnis generis undecim Navibus; Præliabatur non longe ab hoſtium Arce, cui Mytilene nomen, quæ bombardarum ictibus, & ventis averſis in noſtros conjuraverat, dum impediti à ventorum, aquarumque infeſtiſſimo incurſu, morabantur. Jam pyrio pulvere carebant, ut ſi parumper adhuc certamen proceſſiſſet, hoſtibus cedendum videretur. Venetis tandem arriſit æther adimens hoſtibus animum, & vires noſtros inſectandi, quod ipſis commodum præſtitit receſſum ad damna reficienda. Egregium militaris virtutis ſpecimen ediderunt inter cæteros Venerius Claſſis

curator, & Carolus Doctus nobilis Patavinus, quamvis æger, tormentorum munia exequendo tanta gloria, ut à Senatu laudatus, ab Imperatore Mauroceno ad celſiorem gradum, ſcilicet, ad præfecturam Naupliæ, & Arcium ſubditarum, elatus ſit; in quo munere, inſigni virtute, & viridi ætate, è vita diſceſſit. Hic ejus generis fuit cum eo, quem Jo: Baptiſta Verus anno M.DC.LIV. ob clarum opus recenſet.

Zuppavaz Oppidum in Dalmatia Captum Anno M.DC. LXXXVI.

Morlachorum eruptio in Turcas.

GRegariæ Morlachorum turmæ mille numero, eductæ è Jadere, Sebenici, & Cliſſæ Agris ab Stipavich Duce, in Dicuni planitiem, ad coercendas Barbarorum excurſiones: & ducentorum equitum ſub imperio Aliabegh Boſniæ, in unum confertæ vehementi contentione concurrunt: parvo negotio territi Barbari, & effuſi turpiter laxatis habenis fugæ ſe committunt, ſexaginta ſuorum extinctis in campo, aliquibus mancipiis relictis, inter quos Baſsà Herzegovinæ Arcis. Hinc tanta in Morlachis crevit fiducia, ut perſequendo fugientes non longè in Zuppavaz Arcem impetum fecerint, ac, præſidiarios obtruncaſſent, ni præterita clade exterriti ad unum per invia, & ardua itinera dilabentes Morlachis reliquiſſent Oppidum in prædam, quam valde opimam ſecum pertraxerunt, inter frumentorum culmos (illic enim ad magnam altitudinem conſurgunt) latitantes. Morlachi iterum poſt depopula-

pulſatam Arcem urunt Domos, ſola Meſquita inſigni ſervata, agros effusè populantes, ex fuga incolarum, quæ ſupererant, igne corrumpunt, qui ad ſua revertentes iterum à Magna Turcarum manu aggreſſi ſunt, fortiſſimè tamen Morlachi reſiſtendo reddunt conatus irritos, & funeſtos. Pari certamine inde non longe aggreſſi ab Singani Oppidi præſidiariis (quibus extremum excidium imminebat, niſi ſubita dilapſi fuga ſibi ſalutem quæſiſsent) eos inſequuntur ſeptuaginta obtruncatis, equis, Tentoriis, & cæteris impedimentis abreptis. Receptui tandem ſignum dantes ad ſua inde revertuntur.

Alibi etiam tercenti Morlachorum ſtrenui milites ex Sebenico in Othomannica jura excurrentes trans Nigrum Montem, poſt populatos agros, inde animalia abigendo, dum Sebinicum redeunt, à Turcis magno numero aggreſſi, tribus diebus coguntur in nemore immorari, denique decernunt malle ab inimicorum manibus pugnando interimi, quam fame abſumi, audaciſſime cum ipſis congrediuntur, quorum acies quadringentis equitibus conſtabat, & ad multas horas producto certamine fugantur Turcæ, multis ſuorum interemptis, aliquibus in compedibus relictis. Hæc proſperè geſta multas Turcarum familias ultro in Reipublicæ jura concivere, ut res ſuas ſervarent, & partas fortunas incolumes. Jam enim omnia Turcarum ubique peſsum ibant fati vi, & providentia.

Patrarum, Neupacti, ac Corinthi interceptio. Anno M. DC. LXXXVII.

HOc anno aut aeris intemperie, aut mercium contactu, exorta peſtilentia intra exercitus no-

noſtros, magnam æſtatis partem Corcyræ torpentes otio tenuit; remiges primo, mox affici miles cępit. Pluribus quotidie pereuntibus, & invaleſcente in dies latius contagione, ratus Maurocenus valentiorem in labore, & itinere exercitum fore, Corcyra cum tota claſse profectus Zaclumium, vulgò Climinò, petiit, ubi recenſita Claſſis, jam cura, & Ducum diligentia à ſævo morbo convaluerat, cujus rei cauſa grates Deo ſub tentorio ſolutæ ſunt. Erant enim illi duo de triginta Triremes, ſex longiores Naves: Octuaginta ſeptem magnæ onerariæ, quibus præerat Zagurius, novem millia peditum ſub ſingulis Ducibus, & mille ducentos equites ferebant, præter navales milites non pauciores, cum commeatibus quamplurimis; eo robore, eo armorum, & tormentorum apparatu, ut munitarum Arcium inſtar neque hoſtium, neque maris vim ullam timerent. Tertio decimo Kalendas Auguſti Zaclumio cum ſolviſſent, deſtinatæ expeditioni obvertunt proras, & poſtero deinde die prima luce in conſpectum Oppidorum, & Patrarum perveniunt, adeo felici itinere, ut non alia, quam Cœleſtis providentia eas duxiſſe videretur. Appropinquanti ad Littus Claſſi fit obviam Turcarum exercitus per tentoria diſpoſitus in Clivo, qui Urbi dominatur; cæteræ Barbarorum turmæ inter Arcem, & Peloponneſi Oppidum (id loci nomen) caſtrametatæ magnum robur eminus oſtentabant. Veneti uno die littora excurrentes ad lævam Oppidi appulere, in continentemque illati Ultramarini, omnes ſuas copias, præter opinionem, nemine impediente, ob limoſi loci iniquitatem, expoſuere. Sed ne tantum dedecus admitteretur, ut prævalidi Turcarum exercitus ſub oculos exſcenſio Venetorum

rum

rum agminum fieret, & ne ſpectatores tantum egredientium in terram Venetorum eſſent, in Ultramarinos, & Branſuichios faciunt impetum; Sed ſumma vi, & propugnatione excepti, in fugam parvo prælio conjiciuntur, multis ſuorum interemptis, quorum capita Veneti in haſtarum cuſpidibus ſuſtulere. At veritus, ſi tempus tereret, Maurocenus, virium robur Turcis acceſſurum, cum indeſinenter ab una ad aliam Arcem hoſtica Navigia transfretaſſent, cenſuit ingreſſum Ambracii Sinus non protrahendum, cujus exequendi negotium Sanuto freti cuſtodi dedit, qui noctis ſilentio cum ſeptem aliis Triremibus Bolani, Venerii, Nanii, Foſcari, Baduarii, Orii. & Equitis Seguri, unica bireme, tribus myoparonibus, equite Melitenſe Magnano ductore feliciter ingreditur. Hoſtes vero ab Arcibus tormenta explodebant, ut ingreſsum noſtris averterent, irrito tamen conatu, ſolis duobus ictibus petita Sanuti Triremè. Dum autem per continentem iter proſequebatur Veneta Acies benè inſtructis agminibus, iterum Turcæ decem millia peditum, & quatuor millia equitum, eam aggrediuntur, ea parte, quà degebant Tranſmarini à Centurione Celina inſtructi, non deſperantes, renovato ſine mora certamine debellatum iri Venetos. Porrò illos hæc fiducia fefellit; nam paratæ Venetorum Cohortes, ſtrenuè decertando arma geſsere immiſso univerſo equitatu à Corbono, & Turena Principe directo, qui laxatis habenis in peditum ordines irruentes, magnam eorum partem protrivere; à perſequentibus fugientes, panico pavore concepto Patrarum Stationarii cedere Oppido igne cremato, & cum cæteris quam ocyſſimè fugæ ſe committere coacti ſunt, propriæ ſaluti refugium quærentes. Quingen-

tis

tis Turcis interemptis; quinque ænea tormenta, ſex campeſtria, cum impedimentis quam plurimis in Venetam poteſtatem devenerunt, egregiæ militum Virtutis omnibus gentibus teſtimonium perenne. Eodem ferè momento nihil audere, & experiri viſi ſunt Turcæ in Rumeliæ Agro caſtrametati, qui antea quodam furoris impetu noſtrorum deſcenſum ſibi objectum in continenti avertere minabantur, attamen ſuorum exemplo Venetum acceſſum declinantes in fugam ſe proripiunt. Nocte ſequenti accepit Imperator de Peloponneſi Caſtro Præſidiarios aliò demigraſſe, incenſo Pyrio pulvere, (cujus vi pars propugnaculi corruerat) quò ut pervenit cum triremibus aliud Greciæ Caſtrum defenſoribus vacuum invenit, in eo relictis quadraginta tormentis. Sed adhuc exeſtuans animo Maurocenus, haud contentus unico diei ſpatio tres munitas Arces intercepiſſe, & Turcam, gloriantem ſe de Venetis triumphaturum, debellaſſe, ipſo die Ambracium Caſtrum fugatis barbaris intercepit. Hos proſperos ſubjectarum Arcium ſucceſſus magna cumulavit lætitia hæc proxima interceptio, quæ Reipublicæ Venetæ amplam Pelagi dominationem aperuit, & effrenem Barbarorum animum valde compeſcuit. Cæſis in hunc modum, dilapſiſque Turcis; qui à Patris cæde ſuperfuere, cum Seraſcherio in Corinthi Urbem primò ſe recipiunt, ſed illam male tutam ſtationem nacti, incenſis Domibus, & incolentibus Turcis, facta præda, juſſis tota Inſula abire, non adhuc ſoluti Veneto metu, in Thebarum Arce cum eo, quod reſiduum erat, ſe includunt, relictis in Campo apud Patras præter quinque millia extinctos, duobus Accaruti, & Aulonis, qui littora ad Nicopolim uſque in continenti curabant. Turcas numerum duodecim millium

in con-

in conflictu exceſſiſſe, auctum tribus millibus Euboea eductis militibus, fama vulgaverat. Patris interim titulo Curatoris extra ordinem præficitur Hieronymus Priolus, & Petrus Grionus Caſtellanus deligitur.

In Caſtro Peloponneſi (dicto) Marcus Barbadicus, & Hieronymus Teupolus. In Caſtro Rumeliæ curator ordinarius Aloyſius Sagredus. In Neupacti Arcem Thaddæus Gradonicus extra ordinem curator, Caſtellanus Marchio Joan: Maria Malilupi, & ad armorum gubernationem Eques Calorius Zabarella Patavinus eliguntur. Et tandem quia tùm in deditionem Turneſæ, & Lacædemonis Caſtra devenerant, præfectus deſtinatur Georgius Fuſcarenus. Inde in loca Veneto juri addicta invecti extemplo ſunt curatores, Sacerdotes, qui Deo vacarent, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, & Noſocomia, inſtituta omnia demum, tùm ad victum, tùm ad bellum neceſſaria. At quia Incolarum multi catervatim baptiſmum petebant, ideò magna omnium ordinum lætitia, & Religionis bono ſacra ablutione litarunt.

Jam in Conſilio Patres Venetiis publicam rem agitabant, cum inopinato cernunt adeſſe myoparonem Turcicis inſignibus, & aureis vexillis, ſummę poteſtatis inditiis, onuſtum, ex quo ut allatæ ſunt literæ in Conſilium interceptarum Urbium, & Arcium, effuſi in gaudia publicas Deo preces, & grates, ac Æneam ſtatuam in decemvirorum Aula reponendam, decrevere, hac inſcriptione: Franciſco Mauroceno Peloponneſiaco adhuc viventi Senatus poſuit anno M.DC.LXXXVII. & Equiti Petro Mauroceno ejuſdem nepoti Conſiliarii titulum addidere.

Caſtello-novum à Venetis in Dalmatia Occupatum anno M. DC. LXXXVII.

TOtius Catholicæ libertati, & ſacri fœderis incremento ex animo incumbens Veneta Reſpublica, novarum adhuc in dies victoriarum ſpe allecta cenſuit, ſummopere præſtare, ut ab ſinu Adriatici Maris Piratæ Caſtello-novum incolentes, deturbarentur, & hoc iniquum piraticis excurſibus refugium in noſtrorum militum Chriſtianorum, adverſus alienigenas, & temerarios hoſtes, præſidium converteretur, quod & utilitatis, & gloriæ eſſet plus habitura, ſi homines jiſdem ſacris, eodemque cultu in Deum, iniqua ſervitute terra, marique piraticis Lembis vexatos, Venetum nomen, auxiliumque undique implorantes, tutaretur, cum illi Populi tanta ſpe impulſi arma cepiſſent, illatiſque ultrò cladibus totam Græciam conterruiſſent. Senatus prudenti conſilio, quoquo loco conſiſterent, latronum conatus coercendos, compeſcendamque eſſe audaciam eorum, qui prædæ cupiditate ſemel allecti, injurii indeſinenter inſoleſcebant, decreverat.

In Dalmatia Urbium quidem Mœnia Venetis præſidiis male tuta cenſebantur, dum per earum agros moleſtiſſimè Turcæ continuis excurſibus bacchabantur, & in omnes partes ſuo equitatu per ſummum contemptum excurrebant. Eo Morlachi magno rerum ſuarum metu perculſi, inopiam primò ſenſere, deinde, cum adhuc majora damna extimeſcerent, legatos de ſuo periculo ad Venetos mittunt poſtulatum, ut ſibi liceret innoxio marte hoſtibus occurrere, eorumque audaciam propellere. Haud neglecta res eſt à Venetis, quibus omnia intra jurium ſuorum

rum confinia cordi erant. Collaudata igitur eorum fide in Rempublicam ſua ab Turcis repetere permittunt. Nulli impar ad exequendum in illa expeditione mandatum Janchus Eques ſe præbuit invicti roboris juvenis nationis Morlachæ mire ab hac gente, & publicè, & privatim cultus, Turcis immortalis creditus, qui acceptis nuntiis Turcas numero tercentos in altam Duini planiciem trans Zetinam ſe recepiſſe, ad eos opprimendos cum Morlachorum manu ſe transfert, eos adoritur, acrique certamine dejectis, cæſiſque Turcis, locum tenuit, at dum fugientes audacius perſequitur, ab quodam Turca uno gladii ictu ſtrato, ac ſemianimi, ſclopeti glande inſperato in terga trajectus, diem extremum obiit. At illo certamine quinquaginta Turcæ cæſi, exuviæ quamplurimæ collectæ cum vexillis, & Conopæis ditiſſimis, unius Janchi mortem haud rependere potuere. Cujus inſigne Cadaver Claſſiarii Duces, & Morlachi omnes uberibus lacrymis ſuſtulerunt, miſerandum funus præſtantiſſimi viri complorantes, qui nihil habuit æque in votis, quam generoſis auſis Venetæ gloriæ æmulus de Republica, & Patria bene mereri.

Hieronymus Cornelius Dalmatiæ Legatus, inſtituta ad Caſtello--novum ratione, Navibus milite completis, quamvis tredecim dierum ſpatio reflantibus ventis iter lentè proſequeretur, quarto nonas Septembris ad Roſæ ſtationem, contra Caſtello--novi Arcem cum reſediſſet, tertio nonas Septembris repente milites exponit, & jubet accedere prope Caſtrum; qui, ut perveniunt ad Collem uno milliario ab Urbe diſtantem, inveniunt Turcas in Æde titulo Sanctæ Venerandæ degentes, ex qua erumpentes noſtros adoriuntur. Juſſit Cornelius ſtatim ac-

cedere auxiliares Triremes ad littora, ut tormentorum ictibus hoſtes propellerent, & exſcenſionem facerent ad fulcienda Veneta agmina. Inde obeundo cum toto equitatu quadringentorum numero, à Joanne Lauredano directo, & juſſis exſcendere ultramarinis, id eſt Dalmatis copiis, ad locum certaminis progreſſus, licet per duas horas fortiter reluctantibus Barbaris aliò abire compulſis, locis ab illis deſertis potitur, intentus ad Urbem denſo ordine circumvallandam. Cœpit igitur armis urgere Urbem, & quia facilius ceſſurus videbatur hoſtis, ſi diverſis locis peteretur, jubet non tam terra, quam mari Civitatem vexare, irrequietis aggreſſionibus mœnia impeti, grandioribus machinis in clivo locatis; à mari igneis miſſilibus è Navibus (vulgo Palandre) vibratis concuti; occultiſque dolis per ſubterranea machinamenta, quò erui poſſent, everti, & expugnari: Melitenſis, & Pontificia Acies, quò fragor armorum audiebatur, cito gradu progreſſæ, atque cum Venetis agminibus in unum confertæ, ſupremæ fortitudinis experimenta undique præſtabant. Capitur interim à noſtris quidam Agricola, qui ſpecie fugæ mittebatur ob obſeſſis ad Baſſam admonitum certiſſimum imminere Urbi periculum, ni celeri ope levaretur; Jam ferebatur non procul abeſſe ſubſidia obſeſſis ab Herzegovinæ, & Epiri Baſsa ferenda, decimo ſeptimo Kalendas Octobris accedunt Turcæ, ut Urbi ſubſidia inferrent, qui à noſtris audaciſſimè recepti, magnum ineunt certamen à terra armis, à mari Bombardarum ictibus; dimicabatur aliquando incerto marte, ut perſæpe Galli Ducis Agmen nutaret, cui belli moles impendebat, tandem undique victi Turcæ, ſtationem deſerere, & fugæ ſe committere compelluntur,

reli-

reliĉtis 700. extinĉtis, præter non paucos primæ dignitatis duces, quorum capita haſtis adaĉta, & obſeſſis expoſita, magnam conſternationem incuſſere. Inſignis hujus viĉtoriæ occaſionem naĉtus Cornelius mittit, qui Turcas dedere Urbem hortaretur, quod ſcilicet ſi prompto animo feciſſent, honeſtas paĉtiones ſe conſecuturos non dubitarent; ſin experiri vim mallent, denuntiare, nullam cladem viĉtis abfuturam. Hæc omnia refellentibus Barbaris, vehementiori oppugnatione, quam ante, oppidum tentari eſt cęptum. Ex prolatis tormentis ita crebris iĉtibus verberare Mœnia inſtitit Cornelius; ut apertus ruina murus latum ingruentibus præberet aditum: at tunc licet aſſiduę pluviæ, & eluvies id morarentur, produĉtis tamen cuniculis uſque ad interiora Mœnia pervenit. Quo tempore manus Hetruſcæ, & Baraiter ad littus appulere, juſſæ ex altera Caſtri parte caſtra metiri, & tormentis, miſſiliumque libramentis obſeſſos vexare. Jam percrebuerat nova ſubſidia undique recolleĉta obſeſſis proximè futura, quæ ut averteret Cornelius, Duodum extra ordinem Navium Præfeĉtum Olcinium Piratarum nidum infamem Claſſe decurrere, jubet. Interim inter igniaria miſſilia ab Hetruſco libratore emiſſa, una ex ollis, quæ bombæ appellantur, in magnam Urbis Turrim decidens communicato igne labefaĉtavit, & incendit tercentos utriuſque ſexus, quos loci ſecuritas collegerat. Igitur ab universa Claſse innumeris propemodum è tormentis, & mortariis vibratis fulminibus, Urbem aggreditur Marchio Borrus, ut disjeĉta mœnia occuparet, ex altera parte cæteri moliebantur aſcenſum. Hoſtis conſpiciens inſtituta ad Urbis oppreſſionem Acie, operibus aliis, atque aliis adſtringi, & obſidio-

obſidionem progredi, eam jam citò in deditionem verti poſse non dubitabat; per multas horas tamen, utrinque mortis contempto metu omnes, fœminęque, parvulique ſe ſe in hoſtes proripiunt, alii nudatis gladiis, alii ſaxis, & ſagittis certabant. Locum tandem Veneti abactis è propugnaculo cum magno tumultu obſeſſis occupavere, mixtique Turcis in Oppidum jam irrumpebant, quum quadraginta Seimeni ex præſidiariis mittunt ad Cornelium petitum, ut Turrem è mari, & longum mœniorum tractum, in quo ipſi excubabant, acciperet, tantum ut incolumes egredi, & vehi Epirum pateretur. Voluntati eorum annuente Cornelio magnæ Turris deditio illicò facta eſt, & ſervata, quæ pacti fuerant. A cæteris præſidiariis primò vix habita fides, fuiſse hoſti tantum repetente animorum: nemine igitur ſe contra offerre auſo, ab optima fide Seimenis ſervata ſibi perſuadent deditionem. Cum auxiliaribus agitata res eſt petentibus Turcis ſex dies ad egreſſum: Hoc negante Cornelio Venetis ſtatim ultrò adhæſerunt, & accincti gladio, & parvam afferrentes ſecum ſarcinam, Marchioni Borri Urbis ſtationem relinquunt, ab ipſo incumbentium acceſsu conterriti ſummæ Arcis Præſidiarii, ac evulgata Cornelii humanitate in cæteris allecti, juſtis conditionibus Arcem remittunt. Jam ex diruta, & quaſsata Urbis facie videbatur, quàm urgens, & fatalis eorum eſset neceſſitas, quæ illos cogeret ad paciſcendum cum Venetis, qui diu in calamitatibus attriti, ſatis ſuperque fidem in Imperatorem ſuum probaverant.

Emigrantibus præſens Cornelius obſtupuit, cum cerneret, quadringentos armatos tandiu obſtitiſſe ſuis fermè decem millibus. Ingreſſus feſtivis ictibus dedi-

tam

tam Urbem, omnis generis impedimenta, & ſexaginta bellica tormenta invenit, ad eam muniendam ſatis appoſita. In hac brevi obſidione munitiſſimæ Urbis duo fermè Turcarum millia periere. Arma ſtrenuè adminiſtrantes fuere Calbus extra ordinem Aſcrivii curator, S. Paulus Dux, Marchio Borrus Franciſcus Grimanus curator in Campo, ipſius Cornelii Nepos fama clarus in Najaſel, & Budæ in Panonia expugnatione; cum cæteris inſignibus Ducibus, & Claſſiariis, qui omnes inſitæ Nobilitati fortitudinis experimenta dedere, ab eorum muneribus ſatis ſuperque laudati; Ad Urbis præfecturam Hieronymus Donatus aſſumptus eſt.

Scin Oppidum in Dalmatia Turcica obſidione liberatum Anno M. DC. LXXXVII.

TUrcæ inſtructis agminibus, ad repetendum Scin Oppidum, quod anno elapſo opera, & virtute Hieronymi Cornelii Dalmatiæ, & Epiri Curatoris Venetis ceſſerat, illuc progreſſi, ad defendendam magni momenti Arcem è veſtigio Veneta arma concitarunt. Primo tempore Attaglic, Boſſinæ poſtmodum Baſsà, occupato Zetinæ ponte in Clivini planitie, contra Arcem, caſtra compoſuit, diſpartitis circumquaque lato ordine Tentoriis, tormentis, ſuorum, Albanneſiumque copiis ſpecie magni exercitus, ut præſidiariis terrorem, damnaque extrema minitaretur. Inde propius accedens circum Oppidum caſtrametatur, aggrediturque pluribus locis irrequieta tormentorum verberatione, & barbarorum audacia, adeo tamen hi undequaque excepti, ut unica preſſione ducenti occubuerint: Procedente tempore eo in obſeſſis augebatur conſtantia, quo creſcebat hoſtium pervicacia

cacia, quia illa nunquam perterruerat viros magni animi, Antonium Bollanum Oppidi curatorem, & Marchionem Borrum belli præfectum, qui ſuos hortabantur à Barbaris illata damna repoſcere, aſſultus, & aggreſſiones ſtrenuè certando propellere, donec aſſidua ſuorum ſtrage laxaretur labor, & ipſi de hoſtibus victoriam reportarent. At dum Turca muniſſimam Arcem acrius quam antea valida impreſſione expugnare, & omni præda potiri enititur, expeditis per diverſa loca à Cornelio Morlachorum Copiis, ut averterent Turcas ab obſidione, &, quoquo loco conſiſterent, obtruncarent, ac diriperent, celeriter Cornelius ipſe, qui Urbis anguſtias tenebat, de profectione in Turcas inito conſilio, quæcumq; opus fuerant comparatis, jubet Antonium Zenum Curatorem in Provinciam arma capere, & in Dizimi agros procedere cum mille, & octingentis militibus, ut hoſtes ad pugnam eliceret, aut fugientes necaret. Inde in planicie quinque milliaribus ab Oppido diſtante, locantur caſtra, ſed à Turcis exploratoribus detecto noſtrorum acceſſu, & erumpentium Oppidanorum virtute, territus Othomannus ſtatim de tollenda obſidione cogitat, ac noctis ſilentio dejectus animo turpiter recedit, ac fugam occultat; relictis in campo ſcalis, impedimentis, ac unico tormento, quod æquo plus infarſerat, fracto: ſed non adeo occultare fugam potuit, quin noſtri inſequerentur longo itinere, multa ſuorum ſtrage. In eis autem, qui ſtrenuè certarunt, & munus ſuum obierunt, Bollanus curator ad cruris fractionem ſauciatus; Marchio Borrus Patris æternæ glorię ęmulus, & Marcus Pizzamanus ſubtribunus, & Oppidi procurator, cum cęteris inſignem Ducibus ſe prębuit. Senatus longè gratiſſima, ac ſumma edidit in Cor-

nelium

nelium benignitatis argumenta, utpote qui ſe plurimi exiſtimantem hanc victoriam oſtenderet.

Athenarum Civitas à Turcis deſerta. *Anno M. DC. LXXXVII.*

POſt Corinthi Urbem à Mauroceno captam, Seraſcherium cum ſuis de Patrarum pugna ſuperſtitibus Toto Peloponneſo profligatum, ac Lacędemoniæ Oppidum interceptum: reliquum erat aliquos diſperſos Turcas Victori in prædam ſanè relictos, aut profligari, aut mancipia fieri; Datis igitur copiis in Corinthi ſtativa, tantiſper ibidem manſuris, donec tota claſſe circumnavigaret Inſulam Imperator, & ad aliam Iſthmi partem, quæ Æginæ, ſive Saronici freti aquis alluitur, atque Regnum claudit, progrederetur. Præternavigando autem, Naupliæ præſidiarios, qui eam Peninſulam ſervabant, ut ſe dederent, imperat, ſed annuere recuſantes innumeris penè miſſilium, & bombardarum ictibus è Navibus, & Triremibus eò plectuntur, ut temeritatis pęnam tota ſuburbii devaſtatione, & Oppidi non modico detrimento luerint. Imò, ut obſidione premerentur, jubet Villicorum turmas Pontem, qui continenti Urbem adjungit, armis obſtruere, ne inveheretur annona, & Turcæ inde ne exirent pabulatum. Ad majora hinc facinora Imperatoris animum evocante virtute, in Naves impoſitis copiis, quas Corinthi reliquerat, iter maturavit ad Athenarum Urbis interceptionem. Erant hæ olim Regia Civitas, totius Atticæ provinciæ caput, ad tria millia paſſuum in circuitu patet, in ea Atticæ parte ſita, quæ, quod magna ſui parte littoralis eſt, olim A-

ctc, & deinde Attica vocata fuit, quæ Actica, variis nominibus inde appellata, totius Greciæ celeberrima, diſciplinarum omnium altrix; frequentia nobilitatis, & mercimoniorum queſtubus, marmoreis ædificiis, & priſcorum monumentis, nulli impar, cujus Arx in aſpero Rupis poſita, intus, foriſq; munitionibus firmata, validum in quoſcunque conatus propugnaculum.

Duodecimo Kalendas Octobris cum Piræum Athenarum, vulgo Leonis portum tota Claſſis ſubiiſſet, expoſitiſque peditatus, & equitatus turmis, ad Urbem accederet, innotuit, Turcas ad bellum ſibi inferendum Venetos adventare, conſpicientes, Urbem reliquiſſe, & in Arcem ſe recepiſse. Quò ut perventum eſt, exciri jubentur ad deditionem obſeſſi, ultrò ſe dedentes juſtas conditiones conſecuturos, ſin eas detrectarint, omnia mala paſſuros, ut conſtaret, non prius hoſtibus illata damna, quam premiſſa legatio, qua Arx redderetur. Sed cuncta refellentibus obſeſſis, Chinixmarch caſtra ad ambitum Urbis extendit, ac in productis aggeribus locari ſex tormenta, & quatuor mortaria imperat, ut irrequietis ictibus poſſet valida impreſſione magnum adverſariis incommodum inferri, ut ediſcerent, aut Venetis cedendum, aut in Arce pereundum.

Ex his muros, & proxima muris ædificia verberari eſt ceptum, dum ipſa Arx inacceſſis rupibus impoſita animum Venetis adimebat propius accedendi, vel aggrediendi rem acceſſu arduam. Octo dierum ſpacio crebra tormentorum exploſione, & miſſilium jaculatione, maximum intra Arcem damnum Turcis afferebatur, quæ inter una ex ollis cum cecidiſſet, in eam Arcis partem, in qua pyrius pulvis aſſervabatur, accenſo igne ſexto Kalendas Octobris mul-

multos occidit, cæteros ſiniſtro caſu valdè exterruit.

Interim Seraſcherius equitatus copiis pugnam depoſcebat, aggreſſurus noſtra caſtra, cui Chinixmarch accurrente, lata ſtrage ſuorum aggreſſor profligatur, fuga ubique, & conſternatione maxima, qua inde perculſi præſidiarii album vexillum exponunt, ac deditionem ſtatuunt, ea vero his conventis firmata, ut ſcilicet egrederentur inermes, &, quantum impedimenti ferre ſemel poſſent, aſportarent, poteſtas cuique manendi fieret; irrita, & inanis cenſeretur deditio, ſi aqua, & impedimentis laborare Urbem nacti eſſent. Quinq; dies ad egreſſum ſumpſerunt numero fermè tria millia obſeſſorum, inter quos quingenti armati; omnes quinque Naves ingreſſi Smyrnas petiere, exceptis, qui Divino lumine afflati, & Chriſtianorum religione allecti ſacro Baptiſmi lavacro ablui, atque ſpiritu gratiæ in melius immutari voluere. Tantæ Urbi, & Arci præficitur Daniel Delphinus hoc nomine quartus, qui in extra ordinem curatoris munere, & præcipuè ad dirigenda tormenta bellica in Campo, tantæ virtutis, & experientiæ laude enituit, ut ad ſummos promoveri honores meruerit. Æmula virtute inclaruit Georgius Benzonus equitatui præfectus; Quorum veſtigiis inſtiterunt Nicolaus Capellus, hoc nomine ſecundus, Andreas Piſanus, Alexander Valerius, Federicus Marcellus, & Petrus Emo, Veneti Patritii. Ac in agendis miſſilibus ſummæ experientiæ monumenta præſtitit Comes Sancti Felicis Mutonus. Poſt hæc, magni momenti Megaræ Urbs, Euclidis celebris Mathematici Patria, Venetum horreſcens victorem, deſeritur à Turcis, qui eam ſervabant, qua potitus Maurocenus, quia ceſsandi ab armis tempus inſtabat, milites ad hyberna, & Claſsem ad Piræum

Portum direxit, ad eam reficiendam opportunum, ut ad ferventiora, præclarioraque facinora, apprimè Claſſiariis, & remige inſtructam, ſequens annus inveniret.

Corinichi locus in Dalmatia à Turcis deſertus.

CAſtello-novi à Venetis Cornelii virtute Dalmatiæ Præfecti intercepti caſus, longè, lateque circum loca exterruit, & non levem ipſi Cornelio curam intulit, nón tantum ut Herzegovinæ Chriſtianos à Barbarorum jugo ea victoria exemptos confirmaret, ſed Nixichi, Drobgnaci, Bagnani, alioſque belligeros populos cum Turcis cruentari ſolitos, in eos excitaret ad feræ tyrannidis juga excutienda. At diù nutantes Populi, ſuſpicati Boſniæ, & Herzegovinæ Baſſeis, atque Scodræ Sangiaco propriam libertatem, ac bona poſſe peſſundari, tamen (quia potens, ac ſuave eſt ad excelſa incitamentum victoriarum felicitas) ſe ultrò Cornelii Imperio ſubmittentes, fidelem operam in ea expeditione pollicentur. Hoc monitu Præfectus ratus plurimum valere ad confirmandam Caſtri poſſeſſionem, ſi agri confinia circum latè extenderentur, præpropera diligentia ex Aſcrivii ruribus mille milites legit, cum aliis militum millibus Dalmatis è biremibus eductis, ſub cura Joannis Iſii ordinum ductoris, ut ducerentur ad exequenda munia apud relatos populos ſubeunda. Contractis igitur Copiis Rhizano, cum quingentis, ut vocant, Monte-negrinis, ductore Equite Joanne Polinizza, iter maturat ad Galloni locum, decimo quarto Kalendas Novembris, cæterique populi numero duo millia, quibus præerant ſexdecim Comites optimis equis inſidentes, armis,

com-

commeatibuſq; apprimè inſtructi. Hinc à tota Acie, jam recenſita, terreſtri ſuſcepta expeditione, ad Corinichi locum, bidui itinere à Caſtello--novo diſtantem ſeptuaginta turribus, ac tercentis Domibus Turcis ſtationem præbentibus, firmatum, proficiſcitur, quo expugnato, liberam finitimis Reipublicæ populis commeandi viam ſterneret, ac ad occupandas Epiri, Illyrcique Provincias, facilem ſibi aditum aperiret. At non longè à Corinichio progreſsa Acies, à transfuga accepit Turcas pridie, Venetorum adventum exploratum habentes, familiis, cæteriſque impedimentis ex metu aliò dimigraſſe, quos feſtinatò inſecutus Venetus pererrantes, ac in Turribus latitantes, ad unum obtruncat, cæteroſque fugientes, dum amnem Thebiſtizza aquis exundantem tranare contendunt, mergi compellit. Incenſis eo impetu Turribus, cum cæteris adjacentibus Domibus, triginta Turcæ tantum è Venetorum manibus elapſi ingrediuntur Clobuch Caſtrum, arduo promontorio impoſitum, expugnatu fermè impoſſibile, abſque murali tormento, quo noſtri tunc, excurrendi cauſa, carebant. Sed, quod non ferro, fame domandum erat: hinc Veneti, dum nullo obice per patentes campos, & vicos volitare, & longius progredi ad ſubmovendos hoſtes inſiſtunt, ingruentibus pluviis à propoſito removentur, relictis quingentis militibus, ut opportunè cum hoſtibus concurrerent; Cæteros Cornelius ad hyberna Caſtello--novum reducit, ut ibi milites reficerentur, & Urbis munitiones reſtauraret, confirmaretque. Tunc præſidio deſignato, quod Arcem tueretur, omnem curam intendit ad alliciendos populos, ut ad habitandum ea loca venirent, ac felicitate Cœli, ubertate ſoli, & ſuaviſſimo Rei-

publicę

publicæ Imperio fruerentur. Sic brevi ſupra fidem dierum ſpatio, omnis generis, & ſexus mille quingenti paruerunt, præcipuè Zubzi Vicus, iter dimidiæ diei ab Urbe diſtans, (ubi ob loci anguſtias magnam militum manum Turcæ alebant) ex his, quæ agebantur à noſtris, valido metu territus, timens, ne Veneta vicina agmina ipſum circumſepirent, & ferro interciperent, fugato præſidio, in Reipublicæ poteſtatem ultrò devenit.

Res in Piræo, hoc eſt Leone Portu geſtæ, prope Athenas. In Dalmatia, & Bizantii, menſe Octobris M. DC. LXXXVII.

MIſſo Venetias nuncio de Athenarum deditione, ingenti gaudio affectus Senatus, pias ſtatim preces Deo, (quibus accepti beneficii gratiam teſtaretur) decernit, ratus maximam victoriam impetraſſe, quantam ne optare quidem quiſquam auſus eſſet; cum Athenæ tanti momenti Urbs ſint, & tantæ pulchritudinis, cujus plaga vel puriſſimè cœlo, vel uberrimè ſolo arridentibus, homines eo uſque vegetos alit, ut quoſdam hac tempeſtate centum, ac duodeviginti annos, alios centum, ac triginta attigiſſe fama vulgaverit. Hujus Urbis cupidine pellecti Atticam Provinciam invaſerant; gens cujus, ſi opulentiam, ſi literas, ſi arma quæris, nulli ceſſiſſe videatur. In ejus nobili portu, Leone dicto, cenſuit Maurocenus hybernandum, diviſis in Urbe copiis, ut excurſibus Turcarum cum Seraſcherio Thebis degentium, præſto eſſent, ex his infidelibus quidam, quibus id Cęleſtis gratia ſuaſerat, ſtrictis enſibus

bus ad Venetos confugiunt, ac noſtris ſacris, moribuſque initiari efflagitant; quædam vero ſcorta, quibus ea loca exundant, adeò cum noſtris militibus ſe immiſcebant, ut libidinis turpitudo fuerit Mauroceno ferrea pęna expianda, ne lue, quæ peſtifera contagione aliquos Peloponneſi Agros invaſerat, Veneta arma coinquinarentur. Igitur celeri, ac opportuno remedio occurrendum fuit his malis, quæ difficilius tolli poſse videbantur, ſi Maurocenus inſigni vigilantia non e veſtigio accurriſset. Mandat inde Zagurio Navis gubernatori, Naves militeſque in Romaniam Corinthi ſinum traducere, ut inopinati Turcarum excurſus, quoquo loco fierent, excubiarum vigilantia comprimerentur. Cæteris Inſularum Triremibus ſuos in portus ad ſtativa diſtributis.

Dum hæc feliciter Athenis gerebantur, Cornelius Dalmatiæ Præfectus, ut deditos populos confirmaret, ac Turcas à Venetorum finibus ſubmoveret, ex pluribus locis contracto quatuor millium militum numero, properato diſceſſu deflexit iter Gaſcon, ut Baſsam profligaret, qui ut inaudit ventura agmina, Coſanze Vicum petit, à quo ſtatim fuga elabitur, relictis ibi tercentis militibus ſubſidio, qui de ſua ſalute ſolliciti maluere fugientes vivere, quam fideles plecti: hoc conſilio, Oppidum noſtris ceſſere.

Hoc tempore Coſtantinopoli à multis annis regnabat Mehemet hujus nominis quartus, populorum olim omnium, & maxime militum in ſe favorem expertus, denique non belli ſtudiis, aut dignis artibus delectatus, ut magnum Regem decet, effręnis ad omnium libidinum genera, in magnum contemptum devenerat populorum: Puerorum, puellarum, &

Matronarum, quæ flore ætatis, aut pulchritudinis decore conciliatæ Regis gratiam promeruerant, ad nutum fermè, indignos homines, etiam ad magnos honores, ſtipendiaque provehere ſolitus; Perſæpè venationi ſtudiosè vacabat, adeò ut brevi, poſthabita regendi cura, maris, terræque Imperium Viſiri nutu, voluptateque regeretur; Inde innumeris cladibus obruti Turcæ, & nova undique armorum diſcrimina impendere conſpicientes: Viſirum dominandi libidine, ut ſolus rerum potiretur, & liberè imperaret, regium animum corrumpere, & ſtipendia ipſis ſolvenda, ſibi adſciviſſe, querebantur. Ideò averſis à Rege populorum animis, militum vocibus Oſmanus Baſsà totius conjurationis caput conclamatur, quæ voces precipuè inter milites, & Prætorianos numero duo de viginti millia ſerebantur, quærentes dari ſibi dynaſtas, & potentes Turcas, ut in pœnam rerum malè adminiſtratarum, ac totius populi injuriam, diris cruciatibus torquerentur. Interim Bizantii populo in duas partes diviſo: depoſito Rege, altera poſtulabat Mehemetis filium Regem, altera ejus fratrem Solymanum, qui in Carcerem truſus, quadraginta quinque annos ibi manſerat, acclamabat. At Rex, ne tanto Imperio creſcente ſeditione privaretur, juſſit Ghislar Agà Regiæ gratiæ intimum ſequeſtrem, cum quadringentis è primoribus in Carcerem detrudi, ne rebelles animi deſperata Principis gratia cruentis diſſidiis, audaciaque furenti inſanirent. Attamen vetus exoſi, novumque affectantes imperium, ſibi artificioſe illudi credentes, directis in Curiam armis, Turres invadunt, ex quibus inopinato hæc vox erupit. Othomannicum Imperium, Regnique jus, ex quibus Mehemet hoc nomine quartus exciderat, ad Solymanum tertium, quem Deus

immor-

immortalis diù tueatur, pace, ac totius Populi tranquillitate, delata. Inde in Templo Divæ Sophiæ, adorantium vocibus regio Diademate Solymanus exornatus, ac Regiis Septis exceptus, primo fratrem trudi in carcerem imperat tandiu manſurum, quandiù ipſe manſerat. Hic effętæ indolis erat, omnino partis majorum labore imperiis contentus, pacis, ac quietis ſtudia amplexurus, & maximi imperii potentia fruiturus videbatur, cum equitando, ne equo laberetur, hinc inde fulciri conſueſset. Maurocenus autem, quamvis in hyberna ad Portum Vitulum iniqua tempeſtate detineretur, ex Bizantio diligentiſſime omnia odorabatur, nihilque eorum, quæ in tanta novitate Imperii ſciri potuiſſent, ipſum fugiebat, ideo muniri propugnaculis imperat iter, tertio ab Urbe milliario ad Portum, omnibus rebus cavendo, excitis undique militibus, ut Urbem, & Agros confirmaret; ac his locis Seraſcherium depelleret.

Turcicæ excurſiones in Epiro, & cæteris locis compreſſæ. Menſe Decembri M.DC.LXXXVII.

QUamvis in Piræo portu, Claſſe, & Athenis, Venetis agminibus omni commoditate jam fruentibus, è Peloponneſo barbaros turbines ſuſtuliſſet, nondum tamen ad quietis ſtationem profecerat Maurocenus belli Imperator, cum fomes quidam, & quotidianæ turbationis cauſæ ſupereſſent, quia quamvis preſſi Turcæ à noſtris, in ultionem ſæpe ſæpius provocatis, uſque ad Urbem progreſſi, nihil tutum præſtabant circumquaque commeantibus; Ad multos tamen dies invaleſcentem magis Turcarum injuriam compreſſere Græci, qui fu-

rentes, & latrocinantes inſectati, tota Romelia Provincia fugarunt. Arcem Voſtizza in Salone agro debellato præſidio, cepere, & illi, quos vivos fuga è Græcorum manibus eripuit, à convolantibus undique ruſticis, fidem Reipublicæ præſtantibus, necati ſunt. At quia regi frenis nequivit Albanenſium ira, qui ſub idem tempus, haud procul Epiro, pari exitu prædantes oppreſſere, quos ad anguſtum iter adorti, aliquibus mancipiis effectis, cæteros cæde mulctarunt: Pari impetu, & in Rempublicam fide, ſub claris Ducibus Maſi, Libadiæ, Chudvergię, Dorbunæ locorum Incolæ numero trecenti, in Turcas Diſtomi Oppido degentes, & circumjecta loca populantes, cruento bello animadverterunt, ex quo plurimæ multorum generum aſportatæ prædę, non tàm Venetas copias refecere, quàm & ſublata damna compenſarunt.

Circumferebatur interea, quam maxima ea tempeſtate poterat, in omnem partem, & in univerſam Peninſulam diligens Mauroceni cura, tùm ſubvectando intra Oppida, & Arces commeatu, tum opportuno milite, & Claſſe itinera maris, terræque firmando, præcipuè, & naviter ad Obſidendam Euboeæ Inſulam, ab Athenis dimidię lucis intervallo diſtantem.

Hæc inter, Benzonus optimè in Peloponneſo res Venetas curabat, atque Lacedæmonis, ſive Spartę, vulgo Miſitræ, Urbem ſuo milite circumſepſerat. Hęc, ut prope Civitatem Epidauri Limerę agebantur, viſa eſt penè obſideri, ingentique formidine trepidare, quaſi alterius caſu certi exitii præſcia imminens ſibi fatum timeret.

No-

Novi bellici ſucceſſus in Dalmatia.

SEquitur bellum Turcicum, unum quidem nomine, ſed victoria multiplex. Turcę etenim, cui undique cum de cladium ſuarum reparatione conſultaretur, alia nova ſemper ſuperſtabat calamitas: ea, quę nuper in Dalmatia ſuorum agmina delevit, ac ad Reipublicę jura novos Populos concivit, pro pluribus fuit. Cornelius enim firmata pręſidio Caſtello-novi Urbe, refectaque Claſſe, adjecto agminibus milite, Branſuichio Venetis digreſſo, dum penſitat quid Patrię profuturum, ad territandos, & ſubmovendos hoſtes, Dernis Arcem conſtituit intercipiendam, Tininii Oppidi parum diſtantis pręſidio, aut abeundi, aut pugnandi neceſſitatem præbituram: Mirum quam æquè felix eventus Conſilio reſponderit, quadringentis enim peditibus, & centum equitibus, ſub Duce Urbano Fenſo, fugatis barbaris, capta Arce, lata Petrovi planitie potitus eſt. Demum, ut Tininii Arcem exploraret, non longè progreſſus, proximas Urbis domos, pice illitis frondibus, & ſiccis virgultis, & quaqua materie apta, fovendoque igni, incendit, adeo ut pręſidiarii, quamvis fumo, nidoreque propè ſuffocarentur, aucto etiam per eos dies ventorum impetu, Arce egredi ad Venetis occurrendum, aut ad ignem extinguendum non ſint auſi, emiſſa tantum muralibus machinis modica grandine. Cęterum Veneti Duces, inter quos Antonius Zenus equitum Ductor, & Morlachi ſtatis viis, qua fugatis, qua interemptis hoſtibus, non deſiſtebant populationibus Oppidorum augere obſeſſis pericula, propinquo terrere diſcrimine, & pellere defenſores; Hęc inter curavit Cornelius Giahovi Oppidum prope Rhizinium conſtitutum, uberibus prę-

diis circundatum juſto pręſidio muniri, ut Turcarum excurſus averterentur, cujus loci feracitate, & novi imperii benignitate, multę Incolarum Chriſtianorum familię Herzegovina huc tranſmigraverant, quò Turcę extemplo 1200. peditibus, equitibuſque tercentis concurrunt, ſub Aliabegh Smirovich, quibus imperatur obvios omnes ad unum necare, Oppidum, ſegeteſque ſuccendere, abigere animalia, & omnia malè corrumpere.

Per id tempus Rhizinium pervenerat, cum Dalmatis copiis (quarum peropportunus ad agenda futurus erat uſus) Rizzius Bevilaqua à Cornelio miſſus, ut eas ſtationes dirigeret, qui, ut adventum Turcarum conſpexit, ardua itinera occupat, & ad reſiſtendum milites accendit, ne imparatis ſupervenirent hoſtes. Vix diſpoſitis ità rebus ſuperveniunt Turcæ novis Incolis vincula injicientes; milites vero facili omine in adventantem magno impetu, ceu turbine, Turcam, à fronte, & à latere impigre invehuntur, frequens contentio per horas ſumma laborum, & cladium ſpecie producta eſt; Tandem Turcis præter ſpem accidit, ut Venetis cederent, ac in fugam verterentur, ſuorum ſupra centum enectis paſſim relictis, triginta in compedibus mancipiis, ſeptuaginta ſauciatis, Alybegh Smirovich vix fuga ſervato. Sic captis undique ſpoliis, terris ingens victoria Venetis extabat, cum nulla eſſet in ea Provincia Regio, quam venenato ſuo cruore, & probris non commaculaſſent, & nullus extaret locus, in quo crudelitatis, ac perfidiæ impreſſa veſtigia non inſpicerentur; videbantur enim Turcicæ vires reſervari, ut in proprium exitium verterentur.

Res

Res Athenis geſta.

DUm Athenis aſſiduitas egregiæ diſciplinæ ad muniendam opere, & præſidio Urbem ab ingruentibus barbaris, & ad firmandum innumeris penè lignis portum, Maurocenum fatigat, ac ipſe Zacynthum importari familias obnoxias Reipublicæ, Turcamque peroſas jubet: fama vulgaverat Lacedæmonis Oppidanos cum aliquibus Epidauri Limeræ Incolis, violatis pactionibus, intra Lacedęmonis Arcem ſe recepiſſe, veritos, ne primo tempore acri obſidione premerentur, & delerentur Sibi placuit ducere Lacedæmonem obſides, quos penes ſe cuſtodiebat, vinctos catenis ad Arcis conſpectum, & indicere obſeſſis, conventione fracta, non eſſe, cur pacta ſervarentur, interim Argos peterent, comitante Benzonio, ubi Navibus impoſiti, ejus nutus præſtolarentur, alioquin renuentibus minitari ultimum excidium.

Byzantii geſta.

AN verum ſit illud effatum, molium celſitudinem ætherea fulmina in ſe concitare, & ſuperba paſſim tolli in altum, ut lapſu graviore in præceps ruant: Hoc profectò in Othomannico Imperio licet conſpicere; cum Byzantium, unde nuper tanta vis belli, & armorum ſtrepitus in totius Orbis Chriſtianos, Venetorumque maximè perniciem eruperat, nunc ſortibus fortunam vertentibus, fractos, paventeſque ſuos viderit victricibus Reipublicæ armis cedere, eo majori percitos terrore, quo ſe de victoria certiores jactitabant. Latebat

quidem primùm Coſtantinopoli Procerum arte ingentium cladium fama, iis lugubrem excitum belli diſſimulantibus; cum tamen tegi res ultra nequiret, tumultus, ac confuſio quam maxima invaluit, Viſiro enim dabatur crimini tum acceptum incommodum, cum malè actum bellum, & quod inſcio Rege pro quovis vaporario unius auri portorium exegiſset. Spoliandum ergo jactantes omni dignitate, & fortunis primum incondito clamore, mox etiam catervatim, quos effrę nis barbaries conglobaverat, arma in Viſirum capiunt. Hinc defectione aperta ejus domum adorti, fruſtra obluctante Viſiro, intus vi, & armis irrumpunt, ipſumque cum Magno clientum comitatu trucidant. Tantis periculis, diſſidiiſque perculſus Imperator Turca, veritus, ne his procellis peſsundaretur, accuſando, oſtentandoquepericulo, Mahometicum vexillum exponi imperat ad ſubmovendas defectiones, & ad permulcendum, alliciendumque populum. Eſt enim Turcarum ea vis religionis, & in Mahumetem pſeudoprophetam cultus, atque ea Barbaris parendi promptitudo, ut indicta cauſa, cum Regis præſcripta per expoſita ſigna innotuerint, cervicem feriendam ſine mora præbeant, & ultrò ad nutum dirigi patiantur. Centum millia, & amplius Turcarum (incredibile dictu) execrati conjurationis auctores, in Regis jura redeunt. Hęc poſt Solimanus jubet inſequi conjuratores, & rebelles illos, & omnes, qui veſtigia eorum ſectarentur, tam qui Byzantii, quam qui alibi cæſi eſſent, jure cæſos: qui aufugiſſent, rebellionis damnatos, eorumque bona publica fore, promulgavit. Hinc Viſiri Domus, concepto igne, cum quatuor millibus, propinquitatis cauſa, mercibus referta,

conflagravit; Multa Chriſtiani ritus mancipia vinculis exempta, in Gallici oratoris ædes confugere, à quo perbenignè ſuſcepta, duobus nummis aureis in ſingula donatis, Navibuſque impoſita, Venetias delata ſunt.

Franciſcus Maurocenus Belli Imperator Demortuo Venetiarum Duci ſufficitur.

DUm Byzantii, quod eſt Turcici Imperii caput, de libertate, & potentia barbaræ gentes certabant, & inteſtinis diſſidiis Turcico cuncta ſanguine ſquallebant; Venetiis Marci Antonii Juſtiniani Principis obitus, qui ſenex rheumate interierat, Patres ad Comitia concivit, ne Duce, in tantis rerum fluctibus, Reſpublica privaretur. Summum honorem plures nobiles promerebantur, qui terræ, mariſque functi provinciis, de ſe diſcrimen non modicum inter electores ingerebant, uter utri anteferendus eſſet; Inter quos tamen eminebat Franciſcus Maurocenus ſatis ſuperque fama commendatus, omnibus enim honoribus, & his ſummis, ac Reipublicæ muneribus per duo de quadraginta annos functus, Vir animo, & conſilio par difficillimo Reipublicæ tempori putabatur, & populi ſermonibus enixè poſtulabatur. Hunc, Senatores, omnibus ſuffragiis, Principem renuntiarunt tertio nonas Aprilis M.DC.LXXXVIII. Patribus inde digreſſis ad communicandum delectum populo gaudium, nihil inde prius fuit, quam Civem accerſere, qui, deſtinatis ad Maurocenum literis, & Ducali Pileo, dies, nocteſque Myoparone in Peloponneſum adnavigaret, ei publico nomine de habita electione gratulatum.

Epi-

Epiſtolæ Exemplar: Sereniſſimo Principi Franciſco Mauroceno Venetiarum Duci electo, rei Navalis Imperatori.

E Vivis ſublato, & ad æternam felicitatem ſuperũm providentia evecto Sereniſſimo Marco Antonio Juſtiniano perennis recordationis Venetiarum Duce.

Acta à nobis Comitia ſunt, juxta legis perſcriptum de ſucceſſore deligendo. Congregati igitur unus, & quadraginta electores, prævia Divini Numinis invocatione, & ad ſingula merita, quibus ſummè Serenitas tua exornatur, reſpicientes, ex tua inſigni virtute in pluribus graviſſimis provinciis, præcipuè verò nunc tertio ſupremi Belli Imperatoris munere, vera laude ſedulo adminiſtratis, tantam gloriam, utilitatemque Patria conſequi viſa eſt, ut hac ipſa die unanimiter Patriæ votis, Populorumque gaudio omnes te Principem, ac Reipublicæ noſtræ caput elegerint, ac renuntiaverint. Nos, ut experimur ſincerum gaudium, te ad apicem evecto dignitatis, tuis ſanè ingentibus virtutibus debitæ, de noſtra felicitate gaudemus, tibique ſummoperè gratulamur, ſub cujus feliciſſimis auſpiciis, Reſpublicas plus nominis, & utilitatis eſſe conſecuturas confidimus. Planè enim credimus in his graviſſimis temporibus té conſtantem proſecuturum curam, & arma Reipublicæ ſub tua directione producturum, donec à nobis ipſis aliter decernatur. Quare maximè incenſo prudentiæ, & vigilantiæ ſtudio, ea nunc contendat animus, quæ tua virtute, & inveterata operum tuorum experientia ad publicum bonum, majus tui ipſius ornamentum, ac patriæ incremen-

tum

tum gloriæ conferre conſpexeris; dum nos omnibus viribus inſtare decernimus, ut ea in promovendis bellis, & militaribus auſis perficere, quæ dignitatem Reipublicæ reſpiciunt, poſſis, & valeas. Quibus omnibus unum adjicere cenſemus, quod ab Zuccato noſtro à Secretis intelliges, quem his literis, ac Ducali Pileo ad te mittimus; cui certam fidem tanquam ipſi Senatui præſtare non gravaberis. Interim annuat votis Deus, ut te diù, feliciterque conſervet. Vale.

Data ex Ducali Palatio. III. Nonas Aprilis M.DC.LXXXVIII.

Quæ ſequuntur, fuere à Patribus in Senatu ſancita, tanquam abſente Duce, neceſſaria.

Eligatur à Collegio noſtro Vir à ſecretis, qui ad ſtativa Caſtra ſe transferat, Senatus epiſtolam, ac Pileum Ducalem Sereniſſimo Duci offerat, cum formularum ſerie.

Septingentos nummos aureos habeat ſemel tantum, & centum nummos in menſem. Acta provincia extemplò Venetias redeat.

Liceat Sereniſſimo Duci his Vexillis, & inſignibus die ſolemni exponi ſolitis, ad occaſiones, pro liqito uti, appoſitis.

Plumbeo Sigillo utatur; plumbeo in hac Civitate literæ ſigillabuntur. Literarum titulus inſcribatur: Sereniſſimo Principi noſtro Franciſco Mauroceno, Dominium Venetiarum ſalutem, & dilectionis affectum. Ipſe autem ſubſcriptum faciat: Dominio Venetiarum.

Eligantur duo honorandi Nobiles Conſiliariorum titulo, ut maneant penes ipſum Ducem, qui præcedant omnes dignitate poſt ipſum. Pro ſtipendio unuſquiſque tercentos nummos aureos pro quoque

menſe, & ſexcentos ſemel tantum, recipiet.

Una ſingulo Triremis, quæ unicuique ad ſervitium ſuppleat.

Duo Conſiliarii in Ducali Aula maneant, ſimulque primus ex quadraginta, ac viciſſim commutentur.

A Magiſtratu ad impendia publica, vulgo, le Raſon Vecchie, quingenti nummi aurei in menſem, pro expenſis aſſignentur tribus jam præfatis Senatoribus.

Ducatus emolumenta percipiant Ducis conſanguinei, ut, æquatis dignitatis oneribus, reliqua ad utilitatem Serenitatis ſuæ reſerventur: Cui in reliquis privilegia integra cenſeantur, tanquam Venetiis immoraretur.

Multiplex in Dalmatia cum Turcis dimicatio.

NUlla interim in Dalmatia quies: arduum quidem, & perdifficilem Turcarum excurſibus undique aditum intercludere videbatur, qui propriis Vicis expulſi ab inedia, qua opprimebantur, cum circum eſſet vaſtatus ager, vacuuſque cultoribus, in aliena jura excurrentes, bona omnia populati in apertam ſeditionem Albanenſes Venetorum ſubditos, contra Rempublicam compellunt; inter quos Cuzzi Chelmenſis comitatus, Pipperi, cæterique Montium Albaniæ populi, qui per legatos confirmata Hieronymo Cornelio in Rempublicam fide, petebant auxilia: pollicentes Turcarum cædibus ſe cruentaturos, quamvis ab ipſis muneribus, ac donorum copiis allicerentur ſubjici eorum juribus, oblatis obſidibus ad fœderis pacta obſervanda. Promiſſa tamen refellentes, & ad iram magis accenſi, obtenta magna auxilio-

liorum manu à Cornelio, ſub Nicolai Rizzi gubernatoris, & Chiliarcæ Zanfognæ ductu occurſura, quò neceſſitas cogeret, cuncti accenſis animis ad arma procedunt, ut adventantibus in ſe Turcis occurrerent; qui ut perveniunt ad meduni Oppidum à Turcis erectum ad exturbandas Albanniæ Populi excurſiones, pulſo, non ſine certamine, præſidio, & fugientes inſecuti, locum tenuere. Igitur hoſtes his auditis magis properabant in Venetos, ac accenſis aliquibus Domibus, eos adoriuntur, &, procedente pugna, Chelmenſis comitatus populi, qui Chriſtiano cultui initiati, fidem Othomannicam per obſides profitebantur, juſtæ tamen cauſæ à noſtris commoniti in Turcas conſurgunt, nulla ſuſpicione de ſe prælata, ita Turcæ undique aggreſſi, impetum ferre non valentes, effuſis copiis in fugam pelluntur, per invia, & ardua compulſi dilabi plano itinere à noſtris jam interſepto. Uſque ad Podgorizzæ agros ſtrages progreſſa eſt; mille, & ſexcentis interemptis, inter quos multi titulis inſignes, ſpoliis quamplurimis captis, relicto Oppido Venetis juribus. Solymanus Baſsà, cum paucis ſuorum Podgorizzam è fuga receptus, ne denuo aggrederetur (victi enim omnia verentur) noctis ſilentio Scodram petit. Herzegovinæ verò Baſsà, qui proceſſerat in noſtros, ut deferret Turcis auxilium, conſpiciens eminus ſuis ultimam imminere cladem, in Colaſſin Arcem juſto pavore concuſſus ſe recepit, felicem ſe ratus, quem fecerant aliena pericula cautum.

Variæ viciſſitudines in Peloponneſi, & Corinthi ſtationibus. M. DC. LXXXVIII.

VEneta Urbs dum tota in ſui Ducis gaudium effundebatur, Maurocenus ad ſpecioſiora facinora diſponens animum, Athenis digreſſus decem Triremibus, ut jam dictum eſt, & cæteris onerariis Lacedæmoniam contendit, quò ut pervenit Marcia icone vexillum Urbi, ac Arci imponi imperat, viginti annorum juvenibus, ac viris uſque ad ſexageſimum annum remo addictis, cæteris ejuſdem Civitatis ſenibus, fœminis, & puberibus juſſis Epidaurum Limeram ingredi, ut nimio eſurientium obſeſſorum numero laborandum eſſet.

Cuncta ubique proſperè curante Mauroceno, jam peſtiferam luem in Claſſe graſſantem, quæ ſua virulentia Venetos milites exhauriebat, parvo negotio compreſſit.

Porrò feſſis neque in Portu ſecura quies: cum noſtræ Naves exacta hyeme conſidente aura, & quieto mari in ſinu Corinthi ſubſediſſent, circumfuſis repente nubibus, ventorumque concurſibus nive, & maxima tempeſtate, adeo exagitatæ fuere, ut vehementius ſæviente procella, vexatæ, propè demerſæ fuerint, quarum duæ concuſsæ, & littoribus illiſæ, furenti impetu miſerandum paſſæ fuere naufragium, compulſa Zaguri Navi antennas medio tenus exſcindere, quo naufragii periculum redimeret.

Gliſcente nihilominus ſeditione Byzantii, procedebant Veneta arma ubique in Turcas, Mauroceni auſpiciis, cujus ardor, & fiducia ad nova, ac præclara facinora aggredienda, in cæteros quoque Du-

ces, ut in hoſtes formido, effundebantur, quorum impetus non intermiſſi diù, non noctù, undique erant viriliter, fortiterque compreſſi, adeò ut diſſidentes invicem mutuis altercationibus, vel à propriis Ducibus deſciſcerent, vel in Oppida conterriti reciperentur, præſidiarios maximo pavore afficientes.

Irrita Dernisſii Oppidi aggreſſio IV. Idus Aprilis M. DC. LXXXVIII.

TUrcæ vel cladibus repetitis, ad vindictam, vel noſtrorum felicitate, ad invidiam exciti, quatuor millia equitum Tartarorum, & duo millia peditum, ſub Tapal Boſniæ Baſsà, delatis impedimentis in Chlum Oppidum, in Jaderæ agros immittunt, qui vaſtando, abigendo animalia, Paſtoreſque, qui ea ſervabant, captivos ducendo; omnia crudeliter populabantur, inſtituta præcipuè ratione ad oſtentandas Dernis præſidiariis barbaras vires, ut in deditionem eos pertrahere conarentur. Venetus, eorum explorato conſilio (cum non laterent Cornelium, quæ ab hoſtibus ſtruebantur, fraudes) imperat Urbano Fenzo non abeſſe ab hoſtium conſpectu, ſed in anguſtiora planitiei loca expeditum, quam inſtructa Acie, congredi, nihil ad hoſtiles impetus coercendos omittere. Has vires auxit adventus Marchionis Borri ordinum ductoris, cum agminum Copiis, & Franciſci Grimani Cornelii nepotis, cum triremibus, & biremibus. Turcæ exploratum habentes, quid virium, quid roboris ſecum haberent Veneti, nihil audere, & experiri viſi ſunt, qui antea quodam furoris impetu omnia ſibi objecta repulere, dato receptui ſigno, Cluinum primò, inde Bagnaluccam reverſi ſunt, multis inermibus internecioni relictis;

lictis; in fuga non pauci Chriſticolæ laqueis exempti, liberati ſunt.

Interim Spalati, & Cliſſæ arcium Morlachi longo tramite loca hoſtium populantes, captivos, impedimenta, animalia abſtrahendo, damna noſtris à Turca illata in Jaderæ agro, ex æquo repetiere.

Cornelium nihil non movebat, quod impedimentum bello, ac ſubditorum rependendis damnis ſubſidium afferre poſſet, cum Morlachorum quingenti accepti utrobique damni ſarciendi curam complexi, robuſta manu ad Cluini Oppidum iter proſequentes, prædivitis Turcæ Atlaghich, Boſniæ Baſſæ nepotis, Domos aggredi inſtituunt, quamvis ad inſtar validiſſimæ Arcis, muris, ac fortibus propugnaculis munitas. Primo igitur lucis ortu, in ipſas obſtinata vi defenſas, ferro, & igne perrumpunt, ac modico certamine capiunt: aliquibus Turcis interemptis, qui maluere certando perimi, quam ipſis Domibus juſta deditione ſuperſtites vivere. Hac fuga multa mancipia effecerunt, actaque præda opulentiſſima. Eodem ferè momento Solymanus Epiri Baſſà, quamvis diù attritus à Monte-negrinis accolis per excurſus, attamen undique damna ſibi illata minimè vindicanda eſſe putabat, eò magis, quod rem erat ſuſcepturus plurimum laboris, & parum gloriæ habituram, cenſuit igitur mulcendos, alliciendoſque promiſſis eorum animos, donec armis invaleſceret, ac ſibi vires in eos immittendas adeſſe conſpiceret. Hinc copias ex agris collectas mittit, ut Dernis Pagum repoſcerent, ubi noſtri circumſeptam habebant Trininiam Arcem, has vero novo Antonii Zeni equitatus curatoris acceſſu profligarunt.

Va-

Variæ hinc inde expeditiones.

CIrcumferebatur interea, quam maxima poterat, in omnem partem, & in omnem belli molem diligens Reipublicæ cura, ſubvectando intra Oppida, & Arces commeatu, & opportuno milite; ut putri morbo, & belli incommodis confectis nova ſubſidia ſufficerentur, & omnino noſtrorum par hoſti numerus æquaretur. Educta igitur Venetiis in Peloponneſiacam expeditionem Navigia, mille, & ducentis Helveticis militibus, decem Nobilibus honorariis, cum Principe Arcurt completa, ſub cura Sebaſtiani Mocenici quinqueremium curatoris. Paulò poſt ſubſequutus eſt Princeps Maximilianus Branſuvicenſis cum magna manu militum, ac impedimentorum apparatu. Erant & proximè omnis generis navigia in orientalem plagam velificatura cum Turena Duce, honorariis nobilibus, Ducibus, & militibus ordinum paucitatem compenſaturis. Eo tempore ferebatur, Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis quatuor Triremes liburnico Portu ſolutas, recta in Peloponneſum tendere, duabus Navibus, ac duabus incendiariis, quingentis militibus ad exſcenſionem, & octuaginta equitibus ordinis Sancti Stephani; cum ſervis, juſſas in communes Chriſtiani nominis hoſtes Venetis inſociari.

Interim ſeditio in Turcarum Imperium ab Jerghien Baſsà commota per dies invaleſcebat, delatis dignitatibus, & belli officiis ad nutum, æquè in Aſia, & Europa, ad Viros ſui delectus, ea non fugiebat Byzantii Dynaſtas, qui congregati, dedita ad conſultationem opera, in unum, decreverunt eum è medio tollere, tum temporis Ciangher Caſtrum in Aſia aggreſ-

aggreſſum, aucti numero ſocii, commiſſæ cædes, & alia patrata facinora, ut viam ſibi undique ſterneret in Aſiam. Erat Jerghien homo turbulentus, & factioſus. Occaſio furoris fuere denegata præſidiariis ſtipendia. Quorum audaciæ nefarius homo nitebatur, quare ab aucto, armatoque perduellium agmine, omnia igne, & ferro corrumpebantur. Placuit tamen ſupremo Viſiro deſperatis non offerre certamen, ſed eos blanditiis in obſequium trahere.

Jam blandis literis, & humanitatis plenis fuerat Jerghien hortatus ad ſuſcipiendam Temeſvariæ provinciæ gubernationem. Hæc non modo non extinxit faces, ſed majus rebellionis incendium excitavit; veritus Jerghien, ne per dolum, & occultas machinationes, ut erat, ſibi strueretur excidium. Hinc undique excitis militibus, obſtruebantur itinera, ne ab Imperatoris manibus rebellis elaberetur, dum ipſo innoxio penitus Regia Civitas exarſura videbatur.

Hanc nactus occaſionem Maurocenus, à morbo jam liberata Claſſe, majori vi aggreſſionem in Turcas parare, quos diſtentos inteſtinis diſſidiis, conſpiciebat facili negotio debellandos. Imperat autem unam ex viginti Triremibus Eubœæ ſinu excurrere, & extra ordinem Navium præfectum Theſſalonicam petere, non tantum, ut ſubſidiarias Turcarum Naves averteret, ſed novos populos in jurata Reipublicæ fide contineret. Tunc Vendramenus cum magna militum, impedimentorumque manu appulerat. Dum hæc moliebantur, deferuntur Mauroceno literæ obſignatæ titulo Sereniſſimi, pauloque poſt nuncium de certa electione Franciſci Mauroceni ſupremi belli Imperatoris in Venetum Ducem. Attamen placuit Sereniſſimo nullam Epiſtolæ ſignifica-

tio-

tionem fieri, priuſquam Senatus literæ de hac re ſibi redditæ fuiſſent.

Jam redierat Venerius ad Veneta ſtativa cum ſuo Navium agmine, poſtquam Teſſalonicam vaſtaverat, expilatis Barbaris, incenſis Domibus, & quidquid reliquum fuerat igni tradito. Jam Peloponneſum excurrebant Veneti, ut Turcæ diſperſi mulctarentur, & ſuis ſecuritas vigeret, ex quibus excurſibus magnum equorum numerum præda compararunt, ſui equitatus paucitati ſubſidio futurum, aſſiduis congreſſibus cum Turcis prope Athenas valde imminuti.

Interim Cretæ Præſidiarii non ſoluta ſtipendia, transfoſſoſque milites ſclopi ictibus querentes adeo animis in iram commoti ſunt, ut quinque primores Duces interfecerint, inter quos, Urbis Baſſam, & in reliquos Duces hoſtilia molirentur, parati Venetas partes ſuſcipere. His omnibus Mauroceno delatis, vocanti Turcæ, ut ad occupandam Urbem Cretam iretur, & tantum Navium robur præſtaretur ad transfretandum Aſiæ freta, annuit Imperator: ac Triremes, Melitenſium, & Venerii Naves portu digreſſæ Diam contendunt, quò paratæ eſſent ad exſcenſionem faciendam, & ad ſubvectandos Turcas ex condicto Aſiam trajiciendos, ut clandeſtinis dolis viam recuperandæ Cretæ, ſi fato contigiſſet, aſſequeretur, quod diù aperta vi nequiviſſet. At Turcæ Arcium Præfecti, quò latius patebat in mari proſpectus, eò citius adventum nautici apparatus ſpeculantes rati eum adverſus Cretam dirigi, accurrunt ſtatim, ac promiſſis, & donis, armorum, ſeditionumque ſtrepitus ſedare conantur, quod & factum eſt. Igitur, quia Veneti Dia irrita expectatione diù morabantur, otii pertæſi ad ſuos revertuntur.

Q Per

Per hos dies proſperè feſtinabant ad Orientalem plagam commeatus quamplurimi Venetiis digreſſi, ſub Piſani ductu, ferentes copias ubique gentium comparatas, Laurentium Donatum, & Hieronymum Grimanum delectos à Senatu Conſiliarios, ut Duci Mauroceno adeſſent toto tempore, quo Veneta arma ab ipſo regerentur, adjectis quatuor Nobilibus ad nutum Imperatoris, muneribus admovendis.

Novo inde Navium ſubſidio convehuntur Peloponneſum Dominicus Griti, Hieronymus Rainerius, & Marinus Michaelius ad Sindicatum rei agrariæ agendum, in Peloponneſi Regno, (vulgo vocati Cataſticatori) quibus eſſet facultas metiendi, ac dividendi Campos, & Princeps Virtembergh Chiliarca cum ſuis copiis, qui Venetis rebus impenſiſſimè ſtudebant.

Properabat educi Venetiis altera Navium copia omnium genere impedimentorum, milite, machinis, ac ſtipendiis, onuſta, congruum tempus expectans ad egreſſum; ferebant enim Virtembergh agmen alterum, cui præerat Princeps Lantgravius Armſtat. Ejuſmodi auctus viribus Maurocenus hoſtem facilius toto Peloponneſi Regno expellere potuiſſet, ex quo Turcis inimica fatorum ſeries Eubœę caſum ominabatur.

His geſtis, ingenti gaudio non tantum à tota Claſſe lætum nuntium de Imperatore in Principem electo excipitur, ſed æquè ipſi barbari, eo honore affecto hoſti ſuo, geſtierunt. Hinc feſtivis ictibus Naves ſuum Ducem conſalutant, ac vocum lętitia Claſſiariorum aures mulcent erectis ſpe ingenti animis, nova, ac præclara facinora inde eſse moliturum. Qui confirmandæ ſpei de ſe, quo die nun-

cium

cium acceperat (quem donatum torque, & toreumate aureis magni pretii Venetias remiſit) ſtipatus ad tentoria in ipſis apta oratione, & compoſitis literis,: de collato Principatu Patribus egit gratias, quod id de ſe judicium feciſſent, pollicitus adnixurum, ut nunquam delati honoris, & demandati muneris Rempublicam pœniteret.

Venetiis verò, quoniam ex impenſis quotidie creſcentibus exhauriebatur Ærarium, & ſerò vectigalia ex bonis immobilibus ſolvuntur, ſancitum eſt, in poſterum, ut omnibus facultas eſſet ſolvendi Decumas in ſingula jugera ex frumento, quod penderetur decem nummis pro ſtario pro ſtato pretio, & taxa.

Præterea, ut Præfecti Magiſtratus ad Vini, Olei, & cæterarum rerum vectigalia, acciperent fœnori nummos, quibus in ſingulos centenarios quinque redderentur, ut ſpe lucri quiſque æs uberius, & facilius ſuppeditaret, immenſis penè diſpendiis ſuffecturum: admonitæ Civitates, ut ſuppeditarent milites bello, ex earum agris remiges quamplurimos. Sed tamen, quia his adhuc impendiis non illicò plenè ſubventum, accepta ſunt ſubſidia voluntaria ſubjectarum Urbium, ut militibus ſtipendia præſto eſſent.

Acta Bellica in Dalmatia.

CUm Turcæ in Dalmatia non oblivilci cladium potuiſſent, quibus Veneti jugiter eos afficiebant; Solymanus Baſsà Podgorizzam petit, quò juſſerat commeatus quamplurimos inferri, atque milites Civitatum fortiores Scodræ, Antibarii, Olcinii, Croiæ, Dirrachii, Ocridæ, & Terre-novæ deduci,

 qui-

quibus adfuit ſtatim Verlaz Baſsà Aulonis Sangiachus cum quatuor militum milibus, quorum major pars Chriſtiani ritus transfugæ, ducendi ab ipſo Solymano juſſa Imperatoris Turcici executuro: cui ipſe ſignificaverat neceſſitatem Imperii ſui, majeſtatem à Cuzzi populis labefactatam vindicandi, ac Mons-negrini, & Nixichi Incolas, qui in Reipublicæ jura tranſierant, ſubigendi. Conſtabat ejus exercitus decem millibus militum, quos longo tramite penes Cuzzi, Chelmenſis comitatus, & cæteros montes protendit, pridie nonas Junii.

Attamen maluit prius promiſſis, & hortationibus in ſuum obſequium eos belligeros populos adducere, quàm extemplo aggredi, & in anguſtias compellere. Hos populos tamen, quamvis obſidione, & munitionibus circumvallati viderentur, nihil penitus movit jam ab Hieronymo Cornelio ad conſtantiam confirmatos, in quos ſtatim itum eſt, dum Turcæ aſſiduis excurſibus proficiſcentes in prælium conantur Chriſtianos è montibus in planum locum compellere, ut facilius vinci poſſent. Sed id fruſtra tentatum, deductis tribus millibus Turcis ſub cura Ahamat Chiecchaja per juga montium, ut à tergo noſtros adorirentur, qui fortiter reſiſtendo magnum inierant certamen, quod ad horas progreſſum hoſtium ſtrage, & eorum per devia montium fuga, confectum eſt. Eodem fermè tempore, deſertas domos igne cremari, & planities populari contendit Solymanus, quem accurrentes Cuzzi populi, diſperſum, palantemque inſecuti malè mulctarunt.

De his Cornelius habito nuntio, omnes Accolas Aſcrivii amnis Duce Equite Antonio Bolizza conſociari mandat Italis turmis, ductis à Perino præfecto, ac tercentos Dalmatas, cum reliquis; ad Epiri

piri oras Triremes, & biremes deduci à Franciſco Grimano Nepote ſuo, ut pluribus locis hoſtes diſtinerentur. Interim Solymanus Baſsà Cuzzi conſtantiam nactus, ut nullo commento labefactari poſſent, arma in Mons-negrinos convertit, quorum Vicum Cumanum dictum dum aggreditur, magna conſtantia abire compulſus; cumque parum ſpei ubiq; melioris fortunæ, in Podgorizzæ agros penes Scodram ſe recepit. Cui præter infame dedecus, annonę caritas, & gentium ſtrages pro victoria, quam ſibi promiſerat, ſtetit. Ad Antibarii oram expoſitos Turcas, qui ad impediendum noſtrum exſcenſum accurrerant, repulit ictibus Grimana Claſſis illuc appulſa, eoſque fugientes inſequitur Comes Zaccus ſua Trireme, Liburniamque Caſtello-novo Olcinium properantem, intercipit.

Quamvis autem pluribus locis barbaros turbines Veneti fugaſſent, non tamen ad quietis ſtabilitatem undique perventum, quin quotidianæ turbationis cauſæ alibi ſupereſſent. Herzegovinæ Baſsà, ut Cuzzios ſubjugaret, Reipublicæ vires diſtinere conatur, deductis mille, & quingentis Turcis Narentam, ut Opus Arcem occuparet, attamen veritus, ne magna manu opprimeretur, bombardarum, & ſclopi ictibus petitus, ſubito effugio aliò demigravit.

Pari fortuna Herzegovinæ Ali-Bejus nactus aggrediendi Zarinæ Vicum occaſionem, cum octingentis Turcis fugam ſub noſtro aſpectu arripuit, ac Morlachis Zappanar Arcem in prædam reliquit, multis ſuorum interemptis, & captivis.

Ita Turcæ, qui diſcretis, variiſque prædationibus Venetos agros turbaverant, à noſtris Ducibus flagitii pœnas perſolvebant.

Irrita Eubœa obſidio.

INſitâ Maurocenus ſolertiâ, terrâ tandem, marique profligatâ tabe, quæ totam tribus menſibus claſſem continuatis funeribus diſcerpſerat, actis Deo gratiis Duces ad Conſilium vocat, ut, quonam belli vis Religioni, & Reipublicæ profutura dirigenda eſſet, ſanciretur. Ac ut bellico magno auſu, victoriaque celebri principatus exordia inſignirentur, Eubœæ nobiliſſimæ Inſulæ invaſione propoſita, licet expeditio arduis difficultatibus videretur obnoxia, unanimi tamen conſenſu confirmatur.

Hinc Dux de more indictis precibus, Cœleſte auxilium, ut bellicis rebus adeſſet, comprecatur, ac recenſito exercitu, & ad militaria apprimè inſtructo, imperat Navibus copias imponi, proſperam tempeſtatem ad navigandum expectantes; adjectis Melitenſibus.

Nunc interim hujus loci, ſcilicet Inſulæ ſitus, & vires, ac fertilitatem exponere operæ pretium eſt.

Regnum eſt hæc Inſula omnium Ægei maxima, nomine Eubœa, olim Bœotiæ adjacens, quam abſciſſam inde vi pelagi memoriæ proditum; hinc Oram aſpicit, quæ Theſſaliam uſque longo tractu protenditur, hinc Aulidem Bœotiæ portum ſpectat, à quo dirimitur anguſto amne, ſeu Euripo, qui unius diei, & noctis ſpatio ſepties recurrit, eo impetu, ut navigia, repugnantibus ventis, plena ſecum rapiat.

Omnis Inſula tercentis ſexaginta quinque milliaribus paſſuum ambitur, lata quadraginta, quinquaginta ſupra centum millia paſſuum in longitudine patet. Arctiori loco, continenti, ponte jungitur. Unam tantum fert Urbem, Chalcidis olim nomine ab Athenienſibus vocatam, nunc ab Inſula Eubœam.

Hæc

Hæc Domibus, & ædificiis referta, muro quadrato ex lapide, crebris turribus vetuſtæ ſtructuræ opere cingitur, firmo munimento adverſus noſtri ſæculi bombardas. Cujus ſuburbium medio milliario diſtat. Hinc inde duo Colles ingreſſum, à terra, Urbis cuſtodiunt, horum alterum Musllat Japezè, alterum vulgo Carababà Turcæ appellant, in quo jacta moles de induſtria in aſpero Arcem conſtituit à Colle ipſo nomen mutuata. Hæc Urbi, & ſuburbio imminet, acceſſu difficili, non tamen impoſſibilis vinci: à latere Nemus ad Collis extremum Vallis, fontibus quamplurimis exundans, conſpicitur. Hoc Regnum, cui Rabanus à Cruce olim dominabatur, veritus, invadente Mehemet ſecundo, qui deſiderio occupandi eum inſaniebat, non modo non defendi, immò ne quidem victoriæ moram afferre poſſe, Venetæ Reipublicæ tradidit in poteſtatem, quod nihilominus poſtea Mehemet bello invaſit, & è Venetorum manibus anno M.CD.LXIX. arripuit, centum quadraginta millium militum exercitu.

Maurocenus igitur, qui ad Reipublicæ gubernacula evectus latius proferendi imperii cupiditate incendebatur, ratus novam Eubœæ interceptionem maximo Reipublicæ emolumento futuram, omnem in eam impetum belli convertit. Tanta expeditione ſancita, rebuſque omnibus ad obſidionem diſpoſitis, Kalendis Julii imperat novem Navibus, adjectis igniaria, & oneraria, Venerium extra ordinem Ducem Eubœæ amnem obſtruere in Thebarum conſpectum, ut Urbi obſeſſæ laturos commeatus averteret, alibi æquè diſpoſitis navigiis, Piſano ductore.

Inſtructa milite, & remige Claſſis, nonis Julii Po-

Poros Emporii portu ſolvit, ac optatum curſum tenuit, & diu adverſantibus ventis, ad viridariorum (ut vocant) Oram III. Idus Julii deducta, non longius ſex milliaribus ab Urbe, nullo obſiſtente, Turcicam admirata ſegnitiem, pedites octo mille, equiteſque quingentos in terram exponit. Turcæ, qui non longe turrim tuebantur, ut noſtrorum exſcenſum conſpiciunt, ſive hoſtilem equitatum veriti, quem ea loca aggreſſurum rebantur, ſive difficultate ſua ſervandi deterriti, exploſis tormentis, ut de Veneto adventu Urbs commoneretur, eam deſerunt, qua, Ducalis triremis excubiæ potiuntur, lætum, ut rebantur, omen ad Eubœę interceptionem. Hæc inter aliqui ad noſtra caſtra Græci confugiunt narrantes ſex millia militum Chalcide præſidio eſſe; inter eos, & habitatores magnum diſſidium ortum; opere novo Mœnia Turcas firmaſſe, diductis ſub Porta cuniculis, externis munimentis, inſtar Arcium, ſuburbium circumſepſiſſe, paſſimq; & naviter ad tantæ molis experimentum magna, & opportuna auxilia paraſse; Seraſcherium denique quatuor millibus militum prope Athenas degere.

Circumferebatur interea, quam maxima poterat, in omnem partem, & Inſulam diligens Mauroceni, Chinixmarch, Vernedæ, aliorumque cura, tum Urbis ſtatum, & hoſtium munitiones, novo opere firmatas, ab Amet noſtro transfuga Galoppo primum dicto, explorando, tum recenſito exercitu, in expeditionem feſtinando. Idibus Julii primo mane è mari Claſſis ad Collem Carababà prope nemus defertur, ad auverſam à terra partem, copiæ inſtruuntur, juſserat enim Imperator, undique Navigia, & milites ad ſe properare, ut communi hoſti una inſtarent.

Po-

Poſtero deinde die Spinellus Neapolitanus Melitenſium Claſſis Architalaſſus Ducalem Venetam triremem Vexillis, & facibus ornatam adiit, Ducem Maurocenum conſalutatum, advenienſque feſtivis ictibus exceptus, à Piſano legato ad Maurocenum deducitur, qui in Puppi regio faſtu apparata, aſſidentibus aliquot Ducum, ſub papilione eum præſtolabatur, ingredientemque ſtans recipit, & ad dexteram ſedere imperat; à Spinello autem expoſito Magni equitum Magiſtri Diplomate, quo Veneta Majeſtas, & eximia ſui Ducis virtus commendabatur, ipſe viciſſim perhumaniter, ac benigniſſimè verbis exornatus, aliquibus inſuper donatus muneribus dimittitur.

Interim emiſſę nonnullæ leves Turcarum turmę non inutili velitatione noſtros ab operibus bellicis diſtinere curabant, cum honorarii milites, Corboni virtute ſuffulti, acrius dimicantes, hoſtes lata ſtrage repulerunt; ex noſtris deſideratus Paulus Macri Chiliarca, ſpectatæ virtutis, equeſtri honore ſatis commendatus.

Decimo quarto Kalendas Auguſti Laurentius Venerius, ſuis Navibus, in ſtationem ſibi aſſignatam pervenit, ac ſuos milite, & annona juvit, ac exhilaravit, præcipuè Maurocenum, qui repente apparari res jubet ad aggrediendam ex arte Urbem.

Poſtridie autem in Campo Petrus Gaſpari Chiliarca ex Athenarum primoribus comparuit cum ſuis Incolis, qui per viam ſibi Turcas intempeſta nocte accurrentes, Eubœam ingredi feſtinantes, ſtrenuè aggreſſus, fregit, ac fugavit, multis enectis, & octo mancipiis effectis; qui retulerunt Petra, vulgo Lachi, Seraſcherium ancipitem hærere, num Peloponneſo excurrendum, an potius Eubœę defen-

ſioni inſtandum; quod ſi aleam tentaſſet, eo territus periculo incurrendi in noſtros, ſuaque opinione dejectus, proculdubio rem temerè cœptam, & improſperè actam ſatius habuiſſet omittere, tum præcipuè, quia Maurocenus Corinthum petere Cornelium Peloponneſi legatum cum fortioribus Regni militibus juſſerat; Coactis igitur Navigiis in Euripo Eubeæ, adhuc animi pendebat, quò vela verteret Architalaſsus ſuis Navibus, qui conſilio intercipiendi Sulthanas à Duce Baſsà deductas, portu ſolverat. Interim Aggeres extollunt Veneti ad excipienda tormenta, & mortaria ad Urbem verberandam.

Sexto Kalendas Auguſti in Euripo extemplo Hetruſcæ triremes octingentis militibus, ſuppetiiſque quamplurimis ductore Chiſio Architalaſſo appulſæ, omnium ordinum milites, & Claſſiarios, eo adventu, exhilararunt: Chiſius autem omni genere officii à Mauroceno, quo Melitenſis, exceptus eſt.

Decimo octavo obſidionis die Veneta opera ad apertum Urbis progreſsa tanto ſilentio, ut quamvis murorum ictibus provocarentur Veneti ad certamen, ſuis munimentis ſe continuerint, quod diù Turcas ſuſpenſos tenuit. Poſtero die Turcicis ritibus perſolemne, ex cujus ſucceſſibus futura ominari ſolent, oriente ſole horribili fragore tanta miſſilium, ac pilarum tempeſtas è tormentis, & mortariis Urbi injecta eſt, ut præſidiarii ex lata ſuorum ſtrage deſperationem conciperent. Hinc Obſeſſi quanto ſpei in Eubeæ mœniis ſupereſſe cernebant, aliò aſportari gazas compulſi, eò plus fiduciæ Venetis eſse ad victoriam conſpiciebant, qui proinde in oppugnatione ſub moletrinis prope Urbem operi inſtando, vineis, & cuniculis properabant.

bant. Ex his cum languere paulatim vires, & in dies arctiori obſidione Turcæ premi conſpicerent, in Melitenſes perrumpunt, acri tamen certamine repreſſi, celeriter Urbem repetere compulſi non modica ſuorum ſtrage, paucis Melitenſibus deſideratis. Magis ad iras accenſus Maurocenus continuè imperat ſuis, ut in tumulis tormenta campeſtria inceſſanter exploderent, & miſſilia in Urbem jacularentur (quo nihil eſt Turcis formidoloſius) quingentos his ſtravere; Attamen ſarciendo damna non deſiſtebant obſeſſi. In hunc modum protritis viribus, obſeſſos, & præcipuè Mulieres deſperatio cœpit; Inde Maurocenus de quaſsata Urbe ſe brevi victoriam reportaturum ſperabat. Mulieres igitur obſeſsæ militum ſuorum genibus advolutæ gemitibus orant, ne, ſi erga Regem ſat fidei, & ſanguinis ab omnibus præſtitum conſtaret, Eubęam mallent extremo habitantium excidio ſervare, quam vitæ incolumitate triſte buſtum cedere. Sed hoc fruſtra tentatum: ea turcico Duci mens eſt, commiſsæ ſibi Urbis ruinæ immori.

Interim in munitiones, & Urbis muros ſupra, ſubterque terram proficiebat Venetus; omiſsa Charababæ Arcis oppugnatione, in qua parum ſe proficere, animadvertebat. At, ut magis hoſtes premerentur, novum aggerem in parvo ſcopulo ad Portus os excitari curabat Alexander Bonus freti cuſtos, tanta ſolertia, ut ſibi gloriam, cæteris, exemplo virtutem compararet.

Per dies, in campo Cęli gravitate, & æſtus magnitudine, invaleſcebant morbi, qui diffuſi per milites, & Claſſiarios, inter cęteros Chinixmarch corripuere, at, cum ejus rei cauſa nullum ſtaret in exercitu imperium, cui Duces, & Milites parerent,

 Bran-

Branſuichium Archiſtratego demandatur cura; donec Chinixmarch è morbo convaleſceret, quo interim multi quotidie omnis generis abſumebantur; Cętera omnium rerum abundantia in campo fruebantur. Poſt hæc XV. Kalendas Septembris, transfuga Urbe digreſſus, retulit quatuor millia militum inter obſeſſos Urbem defendere, Seraſcherium literis præſidiariis animos addidiſſe, commento, Venetorum paucitatem non eſse cur timerent, oſtentando inter eos tria millia fęminarum virilem habitum induiſse, ut numero ſpeciem adderent. Proximo die delatis ad Maurocenum literis Pagaſe, vulgo Voli Epiſcopus quatuor millia Albanenſium paratos offerebat in hoſtes progredi. Interim vix egreſſi Turcæ in noſtros ſaucii ſtatim Urbem remigrant.

Sic res ſe habebat, cum noſtrę munitiones, & aggeres ad verberandum tormentis męnia ſedulò excitabantur, & parum Turcæ ſuis ictibus in noſtra ſtativa proficiebant, Chinixmarch tantum à tormenti glande penes aures trajecta periculum paſso, non damnum.

Delphinus curator in Campo, in totum Regnum mittitur, ut ex Græcis novi agreſtium delectus haberentur. Inde tormenta in noſtras munitiones hoſtes explodebant, ut ab opere Veneti prohiberentur; & magis accenſi, ad hos ſubmovendos, & ab obſidione avertendos, turmatim Urbe exeunt, & parum progreſſi morantur, revera noſtrum prælium in ſe provocantes, ut ſuas ſtationes ſubeuntes clandeſtinis dolis, ac ſubductis fornicibus, in ſublime projicerent. Noſtri, eo læti conſpectu, in ſua ſtatione immoti præſtolabantur taciti provocantium acceſſum. Tandem X. Kalendas Septembris Turcę ultra progredi ſtatuunt, ac Meliten ſes invadunt, à quibus for-

fortiter receptos, ad horam certamine progreſſo, nox ſuborta diremit, multâ barbarorum ſtrage. Hinc Melitenſibus occaſio orta propius opera inſinuandi ad Mœnia, eodem momento, ne tempus omitteretur, tria millia militum molendinorum ſtationem invadere jubentur, ab inimicis ſclopeti ictu diſtantem; ſupra centum interemptis barbaris, cæteris fugæ commiſſis, ſtationem occupant. At, ut loca repeterent, malè preſſi Turcæ diluculo certamen redintegrant, & in Hetruſcos impetum faciunt, à quibus atrociter aggreſſi in fugam vertuntur CL. interemptis utrinque relictis, & centum ſauciatis.

Ira percitus Maurocenus conſilium ſuorum habuit, num ſtatim munitiones hoſtium invadendæ eſſent; itaq; quamvis aliquibus facinus perdifficile cenſeretur, attamen confirmata munitiones ſtaggrediendi ſententia (quibus ſi potiretur, totam in poteſtatem redigi Eubœam poſse ſperabat) repentè in Campum noctis ſilentio digreſsus cum Claſſiariis, ut clàm inimicas munitiones inſpiceret, & exercitum luſtraret, nactus eſt Turcica propugnacula tribus milliaribus ad mare uſque obducta, multo milite firmata, & ad omnem conatum arcendum opportuna; Adeo ut eorum aliqua pars ictibus ſi die proſterneretur, nocte à Turcis reficeretur; ad eaque defendenda duo de triginta tormenta, ſexque mortaria conſtituta, grave ſtativis, & aggreſſoribus Venetis damnum latura. Urbem præſidio denudatam eſse, ut ea pars muniretur, quod idem multi Turcarum deſertores confirmarunt,

Dum autem ad magnos auſus animum, & rem ſpondebant Veneti, Turcæ, qui ab operibus fortiter premebantur, Gaſpari Athenienſis Chiliarcæ turmam, quæ ſtationem in illo loco ad aquarum ductus ſervandos habebat, adoriuntur, cum qua ini-

to

to certamine, non ſolum repreſſi, ſed ipſi in fugam verſi, centum quinquaginta eorum interfectis, ex noſtris ſexaginta, ipſo Chiliarca ſclopi ictu in pectore tranſverberato; propter cujus inſignia merita, benignitatis ſignificationem diffudit Maurocenus in Fratrem, Chiliarcæ ſuffectum. Hæc inter XIII. Kalendas Septembris hilares, & elati animo Victorię ſpem foventes Veneti in hoſticas munitiones feruntur, & Corbono cum ſuo equitatu præeunte, eas tribus locis ingenti clamore invadunt, ac cum barbaris diſtricto gladio conſerunt manus, quibus loco cedentibus recentes ſubrogabat Baſsà, eoſque ad ultima experienda, audendaque minacibus verbis compellebat. Bis, & ter rejectis Venetis, Turcæ, ut conſpiciunt Bonomettum, & cæteros honorarios montium ſtationem occupaſſe, cœpere trepidare; ac eam deſerere. Inde pluribus locis munitionibus exturbati, protriti, & imminuti, lentè certabant, tandem ſuorum ſtrage, aliò multi à noſtris circumventi effugium quærentes, ſaucii, & ſemianimes in mare præcipites miſerrimè perierunt. Quam atrociter tunc dimicatum, exitus docuit; ad duas enim horas progreſſo certamine, terra cædibus referta, mare ſanguine exuberabat, ducenti deſiderati genere nobiles, & armorum Duces, inter quos Hieronymus Garzonus Patritius tantæ virtutis, ut, ubi majus urgeret diſcrimen, & maximè tela, glandeſque volarent, impavidus conſiſtens voce, & exemplo dimicantes ſuos accendere non deſiſteret, ſclopi ictu in crure ſauciatus ad ſolum decidit; attamen reduci ad papilionem renuens vulnus fortiter ferendo, dum certare inſtitit, Turcarum ingruentium multitudine, repetitis vulneribus percuſſus, occubuit: Dignum avitæ gloriæ Venetorum animi exemplar, tanta vir-

tute

tute pro patria; pro ſua dignitate, uſque ad ultimum caſum ſtrenuè dimicaſſe. Itaque nunquam ferè accidit, ut ab hoſte irato in Urbe diu obſeſſa, longo labore, atque vi capta, avidius, atrociuſque in victos ſævitum ſit, quàm cum modò Turcarum ſanguinem effudit Almoro Maurocenus, qui non prius à lata hoſtium ſtrage revocari potuit, quam amici Garzonii cadaver impiæ barbarorum laniena ſurripuiſset. Inter ducentos ſauciatos, Princeps Arcourt ſclopi ictu, in pectore vulnus accepit; in brachio Turena, Uvirtembergh verò ad mortem vulneratus. Maurocenus verò indignanter, malens vita periclitari, quam ſuorum ſaluti deeſse, triremi exſcendere dum cogitat, & bello ſe immiſcere, habito Conſilio, Ducum precibus, & rationibus, quantum intereſset Reipublicę in ultimi caſus periculum Principem ſe dare cogitantium, à propoſito ceſsavit. Veneti autem mortariis, tormentis, impedimentiſque in ipſis munitionibus repertis, potiti ſunt, præterea ex transfuga innotuit, mille Turcis ſauciatis, majori adhuc numero, morte mulctatos, quos inter Seraſcherii filium, multoſque Duces. Dum hæc aguntur, irrequietis tormentorum ictibus verberare mœnia non deſiſtebant Veneti, abſque impedimento, penes Urbem producta opera, dum hoſtes, quingenti numero, ad aggreſſionem intenti, Albanenſes invadunt, quorum primo receptaculo ſuperato, ab ipſis fortiter recepti, multa ſuorum nece, uſque ad Urbis foveam repulſi ſunt. Cum Chinixmarch pugnam anhelans à cubile, quo febre detinebatur, audacius proſiliiſſet, ex bombardæ ictu, qui lectum ſtatim illiſit, incolumis evaſit, Turcæ interim in conantes noſtros ſubruere mœnia, & ad foveam cuniculos produce-

re,

re, adeo æquali ſtudio ſe exercebant, ut pluribus ictibus, nocte intempeſta præter vulneratos, Vernedam Machinarum præfectum, Uvirtembergh legionis ducem, & milites aliquos, proſtrarint. Attamen non intermiſſa bombardarum noſtrarum verberatione, patefactum in magnam Turrim mare verſus per rimas aſſenſum, Romagnatus Machinarum pręfectus magni auſus vir, quinquaginta militibus, quarto nonas Septembris, quem illis Maurocenus præfecerat, tanto animo invaſit, ut in eam duo ſigniferi vexilla extollerent, ac noſtris victoriæ ſigna proferrent. At loci anguſtias, & perdifficilem in Urbem deſcenſum reſpicientes Veneti, accurrentibus turmatim barbaris, receſſere, unius tantum ſigniferi morte, cujus vexillum quidam audaciſſimus miles inde revulſerat. Itaque, ut aggreſſioni inſtarent, trecenti milites in Urbis fovea occultantur, qui aſſiduis ictibus Turcas, ſe ſe in muris offerentes, proſternunt, hoſtium tamen plurimi bombardarum, & miſſilium grandine corruunt. Ex noſtris unus militum, qui Turrim aſcenderant, pluribus vulneribus ſauciatus, quò prolapſus fuerat ſe mortuum ſimulans, & à Turcis deſertus, ac ſolus relictus, ſe in mare projecit, in quo, pluribus hoſtium ictibus collimatis appetitus, ad ſuos tranavit, toto corpore dilaniato; non aliter, quam Cęleſti providentia ſervatus. Plurimi ex Valdech, & Uvirtembergh agminibus, quos honorarios generis nobilitas, & gloriæ ſtimulus injuſſos in foveæ crepidinem, & ad aggreſſionem Turris attraxit, cum hoſtibus certando occubuere, inter quos Chiliarcæ duo, octo duces, XIV. varii generis præfecti, & ducenti milites; ex hoſtibus quadringenti extincti, totidem ſauciati. Noſtri tamen nullo pereuntium metu perculſi, cum

Urbe potiri aperta vi, diffiderent, ſollicitis operibus Mœnia per ſubterranea Machinamenta evertere, & expugnare conabantur. Jam per terræ viſcera, & ex abditis caveis ad foveam pervenerant, molientes in murorum viſceribus ſtruere fornices ad tormentarium pulverem excipiendum.

Ex alia maris, parte, quarto Nonas Septembris, alius excitatur Agger grandioribus tormentis oneratus, quæ aliam Urbis Turrim impeterent, & obſeſſis damna inferrent; qui ad tria millia redacti milites, quamvis pavidi, adhuc liberari ab obſidione poſſe ſperabant, dum ſubſidia in Urbem aperto ponte, & mari, intromittebantur. Transfuga tunc retulit barbaros abire Urbe cogitaſſe, antequam ignis in meniorum radicibus abditus eructaret, ratos penes ſe vires non eſſe, laboribus, cædibuſque imminutas, quæ Venetis objicerentur: Seraſcherium extra Urbem cum ſuis auxilia obſeſſis feſtinantem profligatum. Hæc inter Aurelius Marcellus febre, Mattheus Bonus Sclopi ictu occubuere. Chinixmarch autem Dux exſcenſus, qui belli incommodis ad præclariora facinora, indefeſſus agendo, in morbum inciderat, eo diù invaleſcente attritus, & conſumptus XVII. Kalendas Octobris interiit ingenti omnium luctu, & quem univerſa militia flevit. Hic Dania ortus, cum pluribus, difficillimiſque bellis meruerat, tum pacis quoque conſiliis inter primores adhibitus, magnum ſibi ad utrumque uſum comparaverat, æquè gnarus belli, paciſq; artium, adhuc incertum, an cautior, quàm pugnacior fuerit; in hoc mirandus, quod non opum cupiditate, quibus copiosè affluebat, ſed gloriæ incitamento, militię dediſſet nomen.

Interim præter milites Venetos, tres machinarum

magiſtri, magis ad ſubruendos fornices, & ad explorandа hoſtium machinamenta, quàm ad conſerendas manus cum Turcis, noctis ſilentio egreſſi, ab obſeſſorum excubiis fermè omnes obtriti ſunt. Ex his quæ parvi momenti gerebantur, auxiliares Hetruſci, nacti occaſionem inſtanti tempore ſui regreſſus in Patriam, decimo quinto Kalendas Octobris, diſceſsere cum ſua claſse, præter exſcenſus milites, equiteſque non paucos relictos, qui jam excubias agebant, donec alios recentes Maurocenus ſubmitteret. At Melitenſis, quamvis elapſo diſcedendi tempore, manendum cenſuit, ne partem victoriæ quam, dequaſsata Urbe brevi Venetos adepturos ſperabat, abeundi feſtinatio eriperet: certior ſpe proximi auxilii.

Jam fovea potiti Veneti, dum ſatagunt mœnia ſubruere, à præſidiariis petiti, frequentibus irruptionibus deturbantur. Decimo enim Kalendas Octobris turmatim Turcæ noſtros aggrediuntur, ac tam acre ineunt certamen, ut momento ſolum ſanguine fœdari, cadaveribus reſpergi mutua ſtrage conſpiceretur; tandem prævalens Turcis Veneta virtus, lata cæde eo metu perculſos in fugam vertit; ac in Urbem cogit remeare, non levi noſtrorum damno. Præter hæc ardua facinora, quæ plurimum moræ operibus bellicis afferebant, ingruentium aquæ pluviarum, non tantum peragenda prohibuere, ſed obducta, firmataque everterunt. Huic malo acceſſit difficultas per terreſtria itinera, & maris commercia, ingreſsum Urbis intercludendi, quo Seraſcherius milites, & omnium impedimentorum genus intromittebat, ad exhilarandos obſeſsos, Venetoſque deterrendos. Ex his paulatim refrigeſcebat Venetorum ſpes Urbem intercipiendi, antequam hyems jam proxima crudeſceret.

In-

Interim bombardarum ictibus patefacta à terra, & à mari mœnia, Maurocenus duabus in partibus aggredi inſtituit quarto Idus Octobris. Et, ut magno auſu certamen noſtri ſubirent, præter campeſtres copias, Epybatas, ac remiges numero CD. lanceis, ſclopetiſque armatos ſubſidio mittit; luſtratus exercitus, decem millibus militum ſelectorum conſtare inventus eſt ſub claris Ducibus, quod magnam Venetis Urbem potiundi fiduciam fecit. Præterea, ut ſimul in pluribus diſtineretur hoſtis, ac vires inteſtinæ in pluribus diſtractæ attenuarentur, in Euripo penes Urbem ſeptem triremes immittit ſub freti cuſtodis Alexandri Boni cura, agmine vero ad ſervandam foveam deducto, reliqua omnia apprime diſponit magnum rei peragendæ momentum latura. Turcæ jam pridem cognito Venetorum animo, & inceſſu, eoque eminus obſervato, juſſis abire imbellibus, obfirmatis introrſum munitionibus, omnia curabant, ut omnibus ſimul locis defenſores adeſſent; & ſibi ſuperventuros parati Venetos fortiter repellerent. Ut dies illuxit quarto Idus Octobris oppugnationi deſtinato implorato Cœleſti auxilio, delectis agminibus in ſupplementum ſub Spar, Volo, & Magnanino Chiliarchis: diſpoſitis tormentis, inſtructis ordinibus, omnibus ad magnam oppugnationem egregie comparatis, hora decima ſexta, Venetæ acies ingenti clamore, ac tympanorum, tubarumque ſtrepitu, Mœnia invadunt, ac cum Turcis atrox ineunt certamen, acerrimus quiſque noviſſimam vim parabat: nec minus effuſis hoſtibus ad tutelam acer impetus; jam Turcæ noſtros ab inſeſſo propugnaculo, exturbabant, cùm barbarorum, noſtris ictibus, & jugi tormentorum verbere, cadentium, ac eorum, quos ferro Veneta virtus proſtravit, quingenti fue-

rint: nunquam gentium obſtinatior pugna, & magis funeſta: defenſorum enim ſuis quiſque animo addendo, ac in periculis æmula virtute certando, quò belli molem converſam conſpiciebant accurrentes, & recurrentes, imperterriti animi ſignificationem præbebant. Hoc facinus magno ſanguine Venetis ſtetit. In multas horas enim atrox efferbuit dimicatio, luſitque ſors dubia, quò rem datura eſset, donec noſtros à mœniis pepulit dejectos, denſa miſſilium ignitorum grandine, ſcilicet ſclopeti, bituminis, ſulphuris, & plumbi liquati jactu. Nec minora mala ferre viſa ſunt Veneta Navigia, quæ Euripum ſubiere, enormibus machinis ab Urbe petita. Ab utraque parte verò obſtinatiſſimè pugnatum, in primiſque pronior Venetis triumphi ſpes arriſit, omnia enim optimo imperio curare, & ſuorum ſpem fovere non deſiſtebat Maurocenus, frangi etenim ea die vires hoſtium videbantur, proxima ſpe Urbe potiundi; Sed acriter percuſſo Spar, vulnerato Volo, aliquibus ex primoribus tùm vulneratis, tùm feſſis, diſtractis viribus lentè in negotio verſari eſt ceptum. Quidam tamen audaciſſimè Turrim dirutam conſcendunt, ſed à Barbaris collineatis ictibus perculſi, ac per mœnia deſcendendi in Urbem, difficili lapſu conſpecto, nihilque relicto ſpei referre pedem ſatius ducunt, ac denique gladiis, ignitiſque miſſilibus undique certando ſumma Venetorum conſtantia, & gloria interim res dimiſſa eſt.

Hujus facinoris exitus ſummo mœrore Maurocenum affecit, ut non cujuſquam diutino hortatu, aut prece erigi paſſus ſit. Tum ergo ſuper rerum ſtatu habito conſilio, dum undique inſtare difficultates conſpiciebantur: decretum fuit non amplius aggreſſionem attentari, ne in pejus diſcrimen Veneta arma

ma verterentur: Quinimmo removeri à mœnibus vires, eminùs locari, ac latè circum Urbem caſtra metari: ab utroque mari hyberna extendi, ut milites excubantes ingreſſum Urbis obſtruerent: reliquas copias in Claſſem recipi paratas ad nutum exſcendere: nunquam ab offenſis quieſcendum, ne mœnia Præſidiarii reficere poſſent, nec introrſum Domos dirutas excitare, quibus ad hybernandum egebant, ut denique comparatis ſubſidiis, Ducibus, machinarum artificibus, miniſtris bellicis, ac ſuffecto extinctis milite, proximo vere ad reſumenda militaria geſta Veneti validiores obſidionem inſtaurare, ac perficere poſſent. Jam commeatibus proviſum, ex Regni agris frumento uberrimè Claſſibus ſuffecturo, præter quæ ab Ægeo vehenda rebantur.

His ſummo ſtudio diſpoſitis, ſeipſum Claſſibus in conſpectum Maurocenus obtulit, perorans, tantis inſtantibus malis, ſe paratum neque ætati, neque vitæ parcere, pro Patriæ dignitate, & Chriſtiani nominis gloria. Hæc pia oratio ab oculis aſtantium lachrymas, & ab ore laudes elicuit; maximè Claſſiariorum, & Ducum, profitentium concordes animos in Rempublicam ad ardua quæque agenda, nihilque, quod audendum eſſet, prætermittentium. Quamvis poſtea votis non arriſerit fortuna; ut plurimum magnis auſis adverſans.

Veneti autem, poſtquam pedes à Meniis retulerant, Turcas ab Urbe repentino incurſu noſtras munitiones, & ſtativa aggreſſos ſtrenuè fugarunt. At quia milites reduci ad hyberna peroptabant, ut commodè reficerentur; ſaucios, turmas, impedimentaque omnia, Naupliam, & in Peloponneſi Urbes ducenda, imponi imperatur in Naves, & Triremes, quas mille Græci facta à Mauroceno po-

teſtate conſcenderunt, optantes vivere ſub miti Reipublicæ imperio; turcicum, fugâ, execrati, cui proprium eſt ſubditos prò viliſſimis mancipiis habere. Inde tres Chriſti fideles, XV. Kalendas Novembris, ut ſe barbara captivitate, qua penes Turcas premebantur, exemerunt in ſcapham delapſi, ſine remis, à Ventorum afflatu prope Venetum navigium deducti, de Urbis ſtatu Maurocenum docent, ædificia univerſa miſſilibus comminuta, ex quibus tantum Urbis ſupereſſe lapideum informe buſtum, multos obſeſſorum ruinis obrutos, & ſuffocatos cecidiſſe: Obſeſſos barbaros vulneribus, vigiliis, diurno, nocturnoque labore adeo confectos, ut ſummopere in diem Urbem intercipi Venetis aggreſſionibus exhorruerint.

Continua tamen victoriarum ſeries, ac rerum geſtarum fama hoc tempore ſic Maurocenum commendarunt, ut non virium imbecillitate, nec hoſtium formidine, ſed temporum iniquitate, ac ſuperventura hyeme, Eubœæ obſidionem ſolvere viſus ſit, impoſterum reſumendam, ejus virtute eo illuſtriorem fidem factura.

Trininii, Slavis Knim Arcis in Dalmatia interceptio.

UT principium præſentis anni, ita finem ejuſdem illuſtravit Hieronymus Cornelius continuatis victoriis in Dalmatia adverſus Turcas: inter omnes tamen præclara, præter Caſtello-novi Urbis præclariſſimam, fuit, quam de expugnata Trininii Arce reportavit. Dum ergo Cornelius, & armorum Duces agitant Conſilia, quam in expeditionem arma dirigenda ſint, eas inter, quæ proponebantur

op-

oppugnationes, Trininii Arcis invenitur quam plurimum opportuna. Hæc præterito bello à Venetis occupata, ac ſolo æquata, à Barbaris ſic refecta, & munita, ut bona naturæ, induſtria peræquaret. Ad extrema Provinciæ poſita eſt, quà, inter montium anguſta, Boſniæ adjacet, in clivo Collis eminet, undique inacceſſibilis, duplici muro ſepta, præter eos, qui Arcem cingunt, ii inter ſe ab imo uſque in ſummum ita conjuncti, ut ſe viciſſim communiant, & undique ſtagnis circumdata, ut non armis cingi, nec viribus obſideri poſſit.

Jam quadringentos pedites, & equites ducentos, cum impedimentis, prope Scardonam, Cornelius comparaverat, ut in ſuſcepti belli expeditionem, ad occupandam Dernis Arcem prædivitem lato agro, cum ſuburbio octingentis quinquaginta domibus referto, qua ſibi aditum ad Trininium Oppidum intercipiendum ominabatur, inſtruerentur ſub cura Urbani Fenci ordinum ductoris. Præmiſerat Morlachorum turmas, quæ rapidi inſtar torrentis, latè ſe effunderent, omnia igne, ferroque vaſtantes, ut circum Incolæ deterrerentur. Sed Oppidi præſidiarii, ut Veneta ſigna conſpiciunt, phalanges triſtia minitantes procurrere, & ob oculos ſimul micare gladios, protinus in turpiſſimam deditionem deveniunt, vacuum, præſidio fugæ commiſſo, relinquentes.

Inde iiſdem velitationibus ad Trininiam Arcem procedunt toto exercitu Veneti, in conſpectum ſuas copias exponunt, locaque ponendis caſtris idonea occupant; qui acceſſu quamvis magnum præſidiariis pavorem intuliſſent, attamen noſtris, ut ſe dederent, imperantibus renuunt, pro reſponſo in ipſos collineantes majores ſclopos, & tormenta. Itaque e-

rectis

rectis repente aggeribus, exploſiſque machinis, miſſilibus in Arcem vibratis, circum undique exaudiebatur armorum fragor. Multo præſidio munita Arx, magnum Venetis faceſſebat negotium, expugnatu namque videbatur difficilis. At Oppido ſuum impendebat fatum; irrequietis bombardarum ictibus patefacta mœnia: Franciſcus Grimanus Chiliarca, quinque tormentis campeſtribus, & accolarum manu amne trajecto, confeſtim hoſtium ſtationem occupat, ac vias, commeatibus, ex altera parte in Oppidum afferendis, præcludit. Præterea in diem, IV. nonas Septembris, aggreſſionem pronunciat, &, quę ad rem agendam neceſſaria rebatur, intento ſtudio apparat delectas militum copias, miſſilium artifices, & Spalati, & Cliſſæ Duces; ad auverſam autem partem Antonius Zenus equitum præfectus, ut Morlachis auxilio eſſet, accurrit, omnibus tamen aderat Cornelius, hortando, ut prompto animo eſſent, atque inſitam belli virtutem revocarent, Oppidum oppugnaturi, cujus munitiones ita perfractæ eſſent, ut à forti, atque audente milite evadi in muros nullo negotio poſſet. His excitati vocibus, inſtructis ordinibus, muros invadunt, ac inaudita ferocitate primum Arcis ſeptum occupant: Inde diligenti ſtudio eam Oppidi partem communiunt, ac Franciſcus Grimanus, & Marchio Borrus jubentur admovere arma, & vires in ſecundum ſepimentum, ſive perfugia ſecundaria; in quorum muros irrequietis bombardarum ictibus aditum aperiri curabant, traductis ſummo labore in aſperum Collis mortariis, obſtructiſque viis, quibus aquam auverterent, ut eſſet hoſtibus hac carentibus arido loco ſummoperè laborandum. Hic diù pugnatum, magna utrinq; contentione, &, dum Turcæ conſiſtunt audacius in mœnibus,

nibus, ac Venetis ad honeſtam deditionem vocantibus ſclopetariorum ictibus reſpondent, patefacto per muros acceſſu, & aggreſſione jam indicta, ex miſſilibus unum prope locum, in quo triginta pulveris cadi aſſervabantur, decidit, conceptoque igne, omnes flagrarunt, tanto impetu, ut ab imo cautes, & ſaxa quamplurima evulſa multos hoſtes obruerint.

Itaque ii undique preſſi, cum ſe ſine externo auxilio impares libertati tuendæ cenſuiſsent, ſigno voluntariæ deditionis expoſito, inducias petunt, ac ex primoribus quoſdam ad Cornelium mittunt, ſalva incolumitate, & ſancita conditione abeundi, quo vellent, Oppidum offerentes; quos tamen, hoc reſponſo, niſi ad arbitrium dederentur, omnibus pereundum ſcirent; ad ſuos Cornelius remiſit, ad quem non multo poſt idem Atlaghich Baſsà, filius, & Nepos, cùm quinque Agà redeunt in campum, Arcem tradditури libera poteſtate. Ita Trininii Arx in Reipublicæ jura devenit; quindecim, prævalida obſidione, dierum, multum opere, & magis natura munità, lato agro, & fertili planitie circumdata, cui præficitur Antonius Lauredanus Patritius, ſummæ apud Cornelium, ob actam provinciam, gratiæ, ex qua centum quinquaginta mancipia vinculis exempta fuere; totidemque Venetis tradita à Turcis in fidem, quæ ſtatim auro redimerentur, ſic ſe in libertatem aſſeruere. Supra mille Oppido exiere, inter quos ſelecti milites trecenti, cum Atlaghich filio, & Nepote; viginti duo tormenta ænea, equique ducenti, cum commeatuum copia, in Arce reperti ſunt. Hinc non longe Valichæ Oppidum, Trininii Arcis territum obſidione, & diræ necis minis, in Venetorum poteſtatem, parvo negotio devenit,

venit, quod edito in monte ſcopuloſis rupibus impoſitum magnæ defenſionis ſpecimen præbebat. Quo igitur plus periculi, & laboris in tàm acri expugnatione extitit, eò plus Venetum Ducem commendari, & condecorari par fuit, qui indefeſſis vigiliis, invicta virtute, ac inveterata prudentia tantum rei finem præſtitit. Pari conſtantia, & animo certarunt cæteri Duces, inter quos Robertus Papafava, qui omnes æternam gloriam meruere, cum Lucio Balbo, & Antonio Maria Semitecolo, qui primi omnium in patentes muros inſiluere.

Ut de Trininii, & Verlichæ interceptione nuncium Patres Venetiis acceperunt, pro lætitia per quam maxima indixere ſupplicationes, & univerſa Civitas, hilaribus ſignis, teſtata eſt, quantum gaudii de victoria conciperet.

Geſta in Nauplia portu poſt irritam Eubœæ obſidionem anno M. DC. LXXXVIII.

Mauroceni in Patriam reditus.

MAurocenus, qui nunquam de victoria, & Eubœæ interceptione deſperare viſus eſt, elapſa rei bene gerendæ opportunitate, in Naupliæ portum ſe recepit, ubi diſpoſitis rebus, quæ ad militum, claſſiariorumque hyberna pertinebant, omnes, ut ſua munia obirent, ac expeditiones complerent, aſſiduè inſtabat, preſſis aliquibus transfugis. Tunc habito nuncio de Bello-gradi interceptione ab Imperialibus obtenta, tantum gaudii concepit, ut non aliam victoriam appetere, quam quæ Chriſtianæ Religionis incremento profutura eſſet, videretur. Quo tempore nuncium Venetiis digreſſum Mauroceno attu-

lit,

lit, pridie nonas Septembris è vivis ad Cœleſtem beatitudinem evolaſſe Aloyſium Sagredum Venetorum Antiſtitem notæ virtutis, & ob liberale in Rempublicam plurium annorum munus, memorabilem; Suffecto in Comitiis Joanne Baduario Divi Marci Primicerio, eò probatæ pietatis, quanta electorum vota coæquaret.

Suum autem munus tanta ſolertia, & propriæ ſalutis neglectu obibat Venetus Dux, & Imperator, ut laborum cumulo affectus, & ætatis imbecillitate feſſus, dum ſacrum audiret, deficientibus viribus, in febrim inciderit, at ne divinæ providentiæ decreto obſiſtere videretur, ſi tunc mori contingeret, ſumpta Euchariſtia, res publicas duobus Conſiliariis Grimano, & Donato, ac Claſſis primoribus commendavit. Qui ut contagioni pluribus locis Corintho, Neupacti, Salonæ, & cæteris graſſanti occurrerent, in Ponti ora Magiſtratum ad hoc inſtituere, cui deſtinarunt Alexandrum Bonum freti Cuſtodem, ac in re militari expertiſſimum, Aloyſium Mocenicum III. quinqueremis curatorem, & Joannem Pizzamanum, ut ad tantæ rei anguſtias optimam operam navarent.

Tandem finem præſentis anni M.DC.LXXXVIII. nuntius clauſit ad Maurocenum de Eubœæ ſtatu, ac de molimine cujuſdam Giaur Liberacchi Leuctrolaconiæ, ſive Leuctrici tractus indigenæ Chriſtiana Religione initiati, qui Cretico bello Turcis ſe adjecit, cujus monitis Zarnatæ, Chielaphæ, & Gareniæ Oppida excitarunt, ut Leuctricis, ſubditiſque populis dominarentur, ac defectiones compeſcerent. Poſt hæc cum Turcis de fœderum fractione accuſaretur, pluribus annis Byzantii in Carcere detentus eſt, tandem ſupremo Viſiro ſe offerens, loca

à Venetis capta in ſubjectionem Othomannici Imperii, & vectigalia, ut antea, conſtituturum, ac eos populos à Veneta poteſtate commodè averſurum. Libertate donatus Leuctri, & Lacedæmonis Bei titulo inſignitus, Thebas dimittitur.

Interim diffuſa contagione Corcyra vexatur, & Maurocenus Idibus Martii M.DC.LXXXIX. convaleſcit. At dum optat ſibi eligi ſucceſſorem, qui molem Imperii maris ſuſtineret, & ipſe reverti in Patriam refotum ſenectutem, ab arduis, ac diuturnis curis, nuncium pridie idus Aprilis pervenit, de Hieronymo Cornelio ſucceſſore delecto ad ſupremi Imperii munus: tantæ exiſtimationis Viro, quantam nec famam ſatis concipere potuiſſe comperimus. Sperabatur nihilominus datum iri, quam primum conventum ad univerſam pacem, opera, & re Sulphicaris Ephendi Turcæ, cum Mauro Cordato linguarum interprete, ab Hemet Imperatore, nonis Aprilis ad hoc Viennam miſſo, quo tamen quatuor annis Viennæ morato, nihil de pace firmatum. At Maurocenus, dum res, quæ citò opus erat fieri, ad nova, ac majora facinora patranda, & ad peſtem diverſis locis exortam extinguendam, curabat, ipſum non fugiebat atrox, & ſagax Liberachi Beii Leuctrici animus, qui, ſi armis invaleſceret, magna damna Venetis minitabatur, optimum itaque cenſuit percunctatum mittere, & magnis muneribus allicere, ut in Reipublicæ Chriſtianæ jura rediret, vel renuentem apud Seraſcherium proditionis crimine accuſare, quod cum Chriſtianis communicaret.

Ad hæc agenda ſe offert Joannes Dambus ſtrenuus miles, & Dux notæ dexteritatis, linguarum Græcæ, Turcicæ, & Italicæ gnarus, moribus Turcarum aſſuetus, ac ipſius Liberachi familiaris, cui

ali-

aliquando ſummam operam præſtiterat, ut è Ducis Baſsæ Trireme, quà in compedibus detinebatur, liberaretur. Ipſum igitur ſe aditurum Mauroceno pollicitus, in Vuracori vico prope Leucadiam nactus degere, ab eo per literas habita fide de tuta tranſitione, ad ipſum valido comitatu pervenit: Tum ſub primis officiis ſecum agendo, leniter increpat, quod fidei Catholicæ ſemel initiatus (quippe qui ab ipſo Mauroceno, Leuctro, anno M.DC.LVII. ad baptiſmum ſuſceptus eſſet, dum is ad Abiæ, ſive Calami Arcis expugnationem tenderet) inter Turcas, contumeliis ſæpiùs etiam affectus commoraretur, qui inter Chriſtianos ſub tanti Ducis Imperio, juſtis otiis, & gazis frui poſſet, admonetq; aliquandò, apud Barbaros commentorum auctores, capitis periculum non evaſurum.

Ex his Liberachus ſtatim cognovit miſſum à Mauroceno Dambum, ut eum à Turcis averteret: Dambus autem ſic res ſe habere, ut ipſe opinabatur, affirmans, addidit ægrè pati Maurocenum, Chriſtianum inter Mahometanos barbaros occumbere, non autem quod magni faceret ejus vires; Ideo, ſi oblatis non abnueret, ſe ejus nomine ſponſionem facere, ipſum conſecuturum quam maxima bona, & ipſis diù fruiturum. Cui Liberachus, tolerabilius fore à barbaris injurias pati, quam inter Catholicos vexatum iri, quod ſibi proculdubio eventurum cum Peloponneſo ſolviſſet Imperator: Conjugem ſuam Byzantii manere, quam ſibi Moldaviæ Principis conjugio viduatam acceperat, pro ſequeſtro, & juratæ fidei pignore conſtitutis duobus primoribus Grajis, in quos, ſi fœdifragus extitiſſet, pœnam capitis lapſuram. Omnia approbavit Dambus, attamen quamvis (inquit) omnia fauſta à Turcis ſperaret, meminiſſet adeſſe Deum immortalem, qui juſtæ cauſæ patrocinatur, inimicorumque ſuorum ultorem fu-

futurum, ideò animæ, & corporis incolumitatem cæteris rebus præferret. Cui ſubdidit Liberachus, majus peccatum futurum ſibi, ſuos internecioni deſerere, quibus fidem jurejurando promiſerat, quàm optimas pactiones à Venetis accipere. His actis Dambum convivam ſibi placuit: ſublataque menſa, ſecum iterum de eadem re colloquitur, ac de rerum Turcicarum ſtatu certiorem factum, magno cultu ad ſuos remittit.

Hoc interim, ad Maurocenum defertur, Triremem Petri Donati à Barbaris interceptam, vixque aliam Henrici Papafavæ periculum evaſiſſe; Æquè Maurocenum afflixit Laurentii Venerii, & Michaelis Angeli Caraccioli immatura mors, ictibus tormentorum in capite percuſſi, dum ſuis Navibus in excubiis ſub Eubœæ Urbe degerent.

Hoc interim Romæ pridie Idus Auguſti moritur Innocentius XI. Pontifex Maximus conſpicuæ ſanctitatis Vir, nec nunquam ſine laude, ac veneratione nominandus. Cui ſuffectus fuit Cardinalis Petrus Otthobonus Venetus eximiæ virtutis, nomine Alexandri octavi, cui nonis Maji placuit ob præclara merita Sereniſſimi Mauroceni, Enſem, Galeamque, quibus Pontifices Romani inclitos Reipublicæ Chriſtianæ Athletas inſignire conſueverunt, dexteræ, & capiti libentiſſimè adjicere, exiſtimationis, quam de virtute, & fortitudine ſua conceperat, ſplendidum, ac manſurum documentum.

Sed quia adhuc Maurocenus febre detinebatur, cenſuit redeundum Venetias, ſumma Imperii Hieronymo Cornelio ſolertiſſimo viro proximè illuc appulſo, demandata. Nonis igitur Septembris portu ſoluit, ac Spalatum tenuit, ubi quadraginta dierum ſpatio ſubſtitit ad ſolvendam contagionis ſuſpi-

cio-

cionem, quod moris eſt ex Senatus Conſulto. Nuntium adfuit, tunc, Alexandrum Molinum Dalmatiæ curatorem, decem Turres in Trebignæ expugnatione intercepiſſe, aliquaſque earum ſolo æquaſſe, cæteras defenſoribus communiſſe; permagni enim intererat ea itinera ſervare, ut inde Turcæ avertерentur.

Quarto Idus Januarii M.DC.XC. in itinere Maurocenus, omnium rerum feſtivis ſignificationibus cultus, multo honore in Patriam exceptus eſt, utpote qui ex Græcia ſua fugato toto Peloponneſo hoſte, tanta de opulentiſſimis tot gentibus ſpolia invexerit, ut victorias Venetiæ non caperent. Appropinquanti ad Littus, duodecim Legati à Senatu miſſi, Venetæ Nobilitatis occurrunt; ibi Patres poſtmodum magna pompa exceptum venerantur ſuum emeritum in Patriam Ducem, ſumma virtute, & ampliſſima dignitate, ęternæ Reipublicæ ornamentum, vaſti Imperii augmentum, libertatis cuſtodiam, & Principatus præſidium. Inde mutuis officiis perſolutis, ut tanti viri reditum, de Patria optimè meriti, decuit, Bucentauro excipitur, quo triumphans veheretur in Urbem: &, ut ad Ducalem Aulam pervenit, toto tractu univerſa Civitas excita ſedibus ſuis, inſolita omnium ordinum frequentia, flagrantiſſimis ſtudiis, ac vocibus, in ejus occurſum, atque triumphum effunditur. At Princeps priuſquam ingrederetur, in manus cujuſdam à Secretis Senatus, imperii militaris ſceptrum repoſuit. Et magna inde officia mutuo præſtita ſunt.

Sequentique die perſolutis in Eccleſia Divi Marci Deo obſequiis, aurea ſede includitur, putei inſtar, Venetorum more, qua & per plateam circumfertur; hincque in Palatium, ubi ſuſceptum Ducale Cornu, cęte-

cæteraque omnia huic ſolemnitati paria.

Grati animi erga acclamantis populi lætitiam experimentum pridie exhibuit, binos fontes optimi meri, numeroſum pondus auri, & panis copiam.

His dignus fuit & à Patria excipi, & Patriam excipere vir omni ætate conſpicuus, qui natus anno M. DC. XVIII. inter militaria experimenta anno M.DC. XXXVI. cœpit Patriæ clareſcere, per gradus ad altiora conſcendere, primum nobilis in Campo Trierarchus, Quinqueremis Gubernator, pelagi Cuſtos, quinqueremium Dux, Claſſis Curator, Armorum Præfectus in Creta, ac denique Claſſis Imperator, in quo munere uſq; ad annum M. DC. LXI. intrepido animo, ac inconcuſſa fortitudine militares labores ſuſtinuit, maritimis congreſſibus multas victorias reportavit, ex quibus interceptæ Triremes, Captivi Turcæ, Oppida, Arces, aliaque victoriarum monumenta in ævum duratura. Adhuc gliſcente bello in Croatiæ, Pannoniæque partibus, loco Aloyſii Molini Maurocenus eligitur in Foro-julii, prope finem anni M. DC. LXIII. Armorum curator. Denique denuo ſecundum Claſſis Curator Cretam mittitur (ad avertendum ſupremum Viſirum Ciuperli ab obſidione, qua fortiter Urbem premebat) quam tribus annis ſuſtinuit, majori gloria, quam fructu, interemptis Turcarum (cum Arce dimiſſa) centum viginti millibus militum. In Patriam pro tempore regreſſus, poſt armorum inducias ſapienter diu in illa verſatus, recurrente à Turcis terrore in Chriſtianos, cum Viennæ Auſtriæ excidium à Barbaris orbis ſuſpicaretur, à Senatu Menſe Julii anno M. DC. LXXXIII. in bacchantis hoſtis repreſſionem deligitur armorum curator in Foro-Julii. Ac alibi fugatis Barbaris, laqueo exemptis

Chri-

Chriſtianis, interceptis Oppidis; tandem tertio Claſſis Curator in Turcas electus, tanto animo, & virtute prò Patria certavit, ut, quæ hucuſque narrata ſunt, ſatis ſuperque ipſum commendent.

Epidaurus Limera expugnatus.

PArtam terreſtri, maritimoque bello totius Peloponneſi victoriam Epidaurus Limera (recentioribus Malvaſia Urbs, quam Laconicæ terræ Civitatem veteribus fuiſſe tradunt) adhuc in barbarorum manibus conſiſtens, perturbabat; naturæ, & artis confiſus viribus, ut, à quacunque vi impelleretur, defendi poſse non dubitaret. Hanc tuendæ Urbis fiduciam alebat temporum præteritorum memoria, quibus turcici præpotentes imperii vires, vanæ, & inefficaces ad eam invadendam extiterant. Quoniam verò Veneti, eam Urbem Regni ſecuritati profuturam conſpiciebant, (quæ in medio litoris poſita, non longe à Leuctrico ſinu, exercitibus aptum præbebat exſcenſum), ejus oppugnationem moliuntur, vireſque undique diſpoſitæ, ut nulla deinceps eſset reliqua obſeſſis annonæ, & auxilii ſpes.

Cum tam forti oppugnatione, quæ decem, & ſeptem dies nunquam intermiſsa continuabatur, Urbs urgeretur, tamen ſuſtinebant adhuc obſeſſi vim Chriſtianorum ad omnia imperio, & audacia occurrentes, & quamvis variis conatibus noſtrorum, varia ipſi arte, ac vi obviam irent: attamen tanta Venetos inceſserat ſpes, ut tandiù circa Urbem hærere, decreverint, donec, ſi non machinis, ſaltem fame, (cui nullum mortalium opus reſiſtit), hoſtes caderent; qui dedita opera omnem bellicum apparatum conſumptum: Urbis deditionem ad paucos dies de-

V duci

duci, ſimulantes, noſtros conſopire, ac fallere cona-bantur, ut acrem impetum averterent, & aggreſſo-res magnis difficultatibus conterriti, ſe à capienda ferro, & armis Urbe abſtinerent. Verum ab Impe-ratore Hieronymo Cornelio, detecto palam hoſtium commento, munitionibus, & annona plenè abun-dantium, parari expugnationem decernitur, majori vi, & animo, ne res longiùs protraheretur. Hinc Baſſignanus machinarum præfectus, ac Comes San-cti Felicis Mutonus, jubentur accedere ad Urbem, ac cominus accuratiſſimè omnia perſcrutari, ut, quò munitiones, ac Valla inſtituenda forent, deligerent, itaque paucis diebus, Cornelii præſentia, omnia ex-pediuntur. Eodem tempore duas Naves igniarias (vul-go Palandre) Imperator immiſit, ut ſuburbium ver-berantes, moleſtiam Turcis inferrent. A Continen-ti autem Urbs multis tormentorum ictibus appete-batur, adeo ut metu exanimati Turcæ, tanta aggreſ-ſorum conſtantia, non aliam ſalutis viam, quam tradendi per honeſtam aliquam pactionem Urbem cernentes, evocanti Veneto, in deditionem ſe trade-re ſatius duxerint, ac quatuor obſides ad Imperato-rem miſerint, de conditionibus acturum, ut ſcilicet ſecum tormenta deducant, & ad egreſſum triginta dies concedantur, cum aliquibus non admittendis po-ſtulatis, quibus rejectis, ad ſuos remigrant, ac inſtau-rata acriori, quàm antea, obſidione, eò deducuntur obſeſſi, ut multis circumventi anguſtiis, nullo reme-dio inſtanti ruinæ ſuccurrere ſe poſſe conſpicientes, externiſque auxiliis omnino exuti, cenſuerint æquio-ribus conditionibus paciſcendum de deditione cum Cornelio; Ideò extemplò acta deditio eſt: vita, re-bus, impedimentiſque ſervatis; Navibus etiam ad transfretandum Cretam, decemque diebus ad ſol-

ven-

vendum permiſſis, facta cuique poteſtate abeundi, vel manendi ad arbitrium. Ex conventis mille ducenti ferme omnes armati Urbe exiere; relinquentes ſeptuaginta tormenta ænea, & varii generis munitiones, per multos dies adhuc obſeſſis ſuffecturas.

Tertiò idus Auguſti ingenti omnium lætitia Epidaurum Urbem ingreditur Imperator, cui (poſt grates Deo ſolutas) juſto præſidio munitæ Vincentium Gritium præfecit. Inter mortuos, & ſauciatos quadringentos ex noſtris non exceſſiſſe relatum.

Et quia inexpugnabilis hujus Civitatis, Epidauri ſcilicet Limeræ, deditio, fauſto, ac memorabili die, nempe pridie Idus Auguſti Sanctæ Claræ dicata, ſucceſſit; ideò omnibus præ lætitia exultantibus, poſt paucos dies ſolemni ritu, ac magnifica pompa, populorumque concurſu in Eccleſia Monialium Sanctæ Claræ Venetiis magno apparatu, muſicoque concentu, ac tubarum, tympanorumque læto ſonitu, preces Deo, ac Divæ Claræ cum gratiarum actione ſolutæ ſunt. Quam ob cauſam duo Turcarum vexilla adhuc ob perpetuam tantæ Victoriæ memoriam in eadem Sanctimonialium Eccleſia ſervantur, ac cuſtodiuntur.

Aulonis interceptio III. Idus Septembris M. DC. XC.

EPidauro in Peloponneſo Veneto Imperio proximè addicto, Hieronymus Cornelius nunquam ſatis laudatus in Dalmatia, aliiſque locis, majores de Barbarorum hoſte victorias animo concipiebat; ad Aulonis, (recentioribus Vallonæ) igitur portum cum Claſse præternaviganti, eoque accedenti, Turcæ obviam accurrunt ſeptem mille pedites, equiteſque mille, & quingenti, ut exſcenſionem averterent:

à propoſito minimè territus, immò in majorem rei benè gerendæ ſpem erectus Imperator, Aulonis, ac Elymæ (vulgo Caninæ montanæ), quatuor milliaribus à mari diſtantis, Arces adoriri deliberat, & ut ad litus accedit, immittit terreſtres copias, ex Cimeriotis, & Albanenſibus, non ſine tamen obluctantium Turcarum obſtaculo, fit in continenti exſcenſus à noſtris, ſub Spaar cura, quo facto, uſque ad Elymæ vicum Turcæ ſunt profligati. Jam expoſitis turmis, ac fugatis circum Oppidum Barbaris, eas ſtationes occupat, ut undique Arx prematur, repentina aggreſſione eam vexat, tormentis quatit, & proxima quæque loca igne vaſtat, ut Turcæ longius diſtineantur, ne invaleſcentes ſpem in obſeſſis foveant, & ne ſe noſtris tradant, prohibeant. At Cornelius tùm certa ſe in Oppidum victoria iturum ratus, ſi Barbari ex illis Domibus, in quas ſe receperant, ac communiverant, ſummoverentur, ad hoc miſso Spaar peditibus mille, equitibus quadringentis, ſtrenuè eas adoritur, illi per decem mille paſſuum intervallum impulſi, quamvis aliquando obluctandi ſpeciem præberent, tandem laxatis habenis in fugam multa cæde vertuntur. Interim adhuc fatigabatur oppugnatione Oppidum ſub cura Ducis Borri, ac Comitis Pompei, cum cæteris Ducibus, audaciam, ſpiritumque ſumentibus ex virili obſeſsorum pertinacia; ex altera parte Melitenſes, ac Pontificii Duces cum ſuis, ſub Ducis Guadagnì imperio, ſtrenua experimenta virtutis præferebant, ita ut ſtatim totum ſuburbium ad dexteram, & ad lævam occupatum ſit. Hoc lætum facinus amara mors Borri, ictu ſclopi, funeſtavit, qui ſuos hortando, & æquè ſtrenuè certando, magno militum luctu, interiit. Nocte oborta, Cunicularius ſe ad

Mœnia

Mœnia admovet, & operibus ingentibus Arx ſepta eſt: intra muros premebantur obſeſſi, qui cum ſemirutam, ac omni ſubſidii ſpe ſpoliatam Arcem viderent, per album Vexillum deditionem offerunt, ſed adeo ſuperbis conditionibus, more Othomannici faſtus, plures dies ad egreſſum poſtulantes, ut Cornelius eos à deditione alienos eſſe, intelligeret. Renunciarent igitur ſuis, ait Imperator, niſi ſe illicò dediſſent, hoc convento, ut arma tantum, & impedimenta ad uſum ſecum auferrent; vincula, cædes, extremaque omnia ſe illis denuntiare; hoc ut audiunt, ad arbitrium Victoris Arcem tradunt, ac ſub oculis Turcici exercitus, qui explicatis ſignis ſpectator rei extabat, ad ſuos perducuntur tria millia Oppidani, atque centum quinquaginta præſidiarii. Inde ad majora facinora intentus Imperator, ne rei benè gerendæ tempus tereret, & ut ejus victoriæ fructus ſtatim colligeret, ad aggreſſionem Aulonis Urbis procedit, cui miſſilium grandine penè oppreſsæ nuntiat extremum excidium, &, niſi illicò ſe dederent, nihil hoſtile prætermiſſurum. Ad hæc, nullo reſponſo, nocte intempeſta turpem fugam occultant, ac Urbem vacuam deſerunt. Tanto Duce hæc expugnanda loca erant, alter ab altero parum diſtans, Piratarum pervetuſtus nidus, multo milite firmatus in utroque centum triginta quatuor tormenta bellica inventa, & impedimenta tum ad victum, tum ad militaria, reperta non modica: Suam quoque Duce operam navante, proprio muneri optimè reſponſurám.

Quam Aulonis Arcem Dominicus Mocenicus, qui in Claſſis Imperio Hieronymo Cornelio de Republica optimè merito ad Cœlum elato, ſucceſſerat, non poſt multos dies maluit funditus diruere,

quam Turcarum excurſibus obnoxiam ſervare.

Sed ſtrenuè inter alios, hoc anno M. DC. XCI. eminebat Vincentius Paſta nobilis Venetus, cui quemadmodum ætas vixdum pubeſcentis gratiam, & animus ad bellum alacer, favorem apud vulgus conciliabat, ita Imperatoris animum allicuit, ut ab ipſo Zarnatæ Urbi, ac Arci admotus Leuctrici tractus ſibi amore communicato ab Senatu repetitis commendationibus, anno M. DC. XCII. Spinæ-longę curator eligi meruerit, quo in munere ſic ſe geſſit, ut Barbaro minitanti extremum excidium, ni Arcem cederet, reſponderit, cuſtodiam Arcis ſibi à Senatu mandatam, niſi omni ſanguine effuſo in hoſtium poteſtatem ceſſuram.

Promiſcui bellorum ſucceſſus in Dalmatia, & Peloponneſo anno M. DC. XCII.

Dominici Mocenici Veneti Imperatoris delecti expeditio in Turcas.

Hieronymo, Cornelio, anno elapſo non tam exercituum, quàm Patrum lachrymis ob egregia in Rempublicam merita à belli diſcrimine ad Cœleſtem ſtationem evocato, ſucceſſit Dominicus Mocenicus, cui ob ſingularem operam in arduis Reipublicæ geſtis ſemper eidem, dignitate, tituloque pari Senatus detulit rei militaris imperium. Vir excelſi animi magno nautici apparatus præſidio ab Urbe ſolvit, ac poſt feſtinatum iter, & Aulonis Turcicis incurſionibus ſedulò obnoxiæ demolitionem, in Peloponneſum trajecit; ac ſtatim invaleſcentes in Nico-

copolis (hodie Preveſæ) vicinia magnos Turcarum incurſu coercuit, & eos latrocinantes è Regno fugavit.

Pari virtute ea tempeſtate præſtabat Nicolaus II. ſive Vincentius Ericius in Albaniæ, & Aſcrivii Præfectura, inter Turcarum jura pererrans, in eorum perquiſitione, quibus tantum terrorem incuſſerat, ut omnem declinarent congreſſum, quem ſemper conſpexerant magna eorum jactura pertimeſcendum.

In Albaniæ pariter finibus à Mons-negrinis permeantes Turcæ, recuſata quacunque diſceptandi aperto marte provocatione, ad necem conquirebantur, quibus primores fidam ſtationem ſibi putantes quandam Turrim, in qua ſe receperant, ab ipſis aggreſſi, breviter vincuntur, Turri ſolo æquata, inter mancipia, Agà cum ſuis capto, & ad Ericium delato.

Alibi Daniel Delphinus Alexandro Molino ſuffectus, qui jampridem dùm inſequeretur Turcas ſuis Navibus (quarum extra ordinem Curator tunc erat) certando manum amiſerat, demum Provinciæ Præfectus, Morlachorum phalanges in hoſtes miſit, quos inopinato aggreſſos lata ſtrage depreſſit, multis in vincula conjectis, acta præda opulentiſſima.

Irrita Cydoniæ aggreſſio.

Quamvis, depreſſo undique Turca, apertos hoſtes ſuſtollere ſatageret, non tamen tantam fidem in ſuis invenerat Venetus, quin intra Carabuſarum Arcem, quæ præterito bello Veneto juri reſervata fuerat, proditionis facinus moliti fuerint

præ-

præſidiarii, pacti ſecretò cum Turcis Arcis dedi-tionem, cum ejus Curatoris Franciſci Donati Patritii captivitate (qui fuit poſtea publico ære perſoluto compedibus exemptus). Hæc militum immanitas, ac Turcarum conſpiratio, adeo Imperatoris animum accendit, ut quæreret de barbarorum aſtu cruenta ſtrage ulciſci. Tunc indicta Conſultatione, in hoſtes continuò exiliendum clamat, non expectandum, ut cæteras Arces peſtifero proditionis veneno inficerent. Itaque ſtatim omnium conſenſu Cydoniam in Creta oppugnandam deliberat, eò potiſſimum, quòd deſperata, ob præſidii paucitatem octingentorum, ſcilicet, militum, propugnatione, non dubitabat, quin illa brevi in deditionem veniret; Statuit igitur cum tota Claſſe undecim millium exſcenſus militum in Cretæ Inſulam feſtinare, quam, ſecuta conſilia Imperatoris mitior aura, intra quartum diem in conſpectum Cydoniæ portus, dedit.

Decimo quarto Kalendas Auguſti in terram expoſito milite, Urbs à continenti militibus, & tormentis, à mari Claſſibus, & ollis miſſilibus vexabatur. Jam ad foveæ crepidinem perventum, nocturnis, diurniſque aggreſſionibus ſtrenuè decertando; Jam Venetus Imperator minarum plenus ad mœnia totis viribus admotis, ſic ea muralibus machinis concutit, ut brevi introeundi viam ſterneret militibus, ad omnia impigris. At Turcæ è Regno collectis copiis (ut imminenti Urbis ruinæ ſubvenirent, certi faciliter fractum iri, & ſubverſum, quidquid diviſum ſit, ac tum Civitatem extra periculum futuram, cum Venetos diſtrahere poſſent) eorum ſtativa aggrediuntur, taciti ſque inſidiis aliquos Transfugas compellunt, dum Mœnia

noſtri

noſtri aggrediendo ſcandunt, in eos irruere pro Turcis certando; At Veneta virtus inconcuſſo robore, barbarorum aſtus elluſit.

Itaque viſa fortuna reſpuere Venetorum conſtantiam, Imperator jubet Duces percurrere oras, colligere milites, & ſuppetias in Naves deportare; Sed hoſtes proſpero Marte ſuperbi recedentes perſequuntur, pauco tamen noſtrorum damno.

Sic Imperator malignam, & invidam ſortem querebatur, quæ callidis infeſtationibus milites Venetos corrupiſſet, è cavernoſis latebris ignem in caſſum eructaſſet, præſidiarios Turcas ad reſiſtendum impuliſſet ſpe proximi auxilii viginti quatuor Triremium à Duce Baſsà feſtinandi, (quod paulo poſt Cydoniam pervenit), & maturius tempus hybernandi auxiliariis adduxiſſet, exinde æquiori fortunæ impoſterum confiſus, remenſus mare, in Peloponneſum regreditur. Ibi ita Turcarum incurſiones invaluerant, ut, quamvis à Marino Michaele Generali Proviſore armis repreſſæ ultra Iſthmum expulſis Barbaris, juſſo propterea demoliri externas Corinthi munitiones, majoribus adhuc viribus indigere viderentur, quæ à Cydoniæ obſidione Imperatorem ex parte detraxere.

Inde palàm colligitur, plus ſæpe bellorum exitus fortunæ auctoritati, quàm Ducum virtuti, & ingenio inniti.

Imperterrita tamen ſemper ad omnem caſum Reſpublica haud hoc Cydoniæ infelici ſucceſſu deterrita, magno auri ſumptu, novam expeditionem Venetiis ſollicitabat, decrevitque parari iterum arma, novos extra Italiam militum haberi delectus, dari ſupplementa Phalangibus, & Claſſibus, ac aſſignari majora Ducibus ſtipendia, ut validius venturo vere

mili-

militaribus geſtis damna præterita rependeret: Interim tueri Peloponneſum præſidiis, rati, Turcas male tutam Regni poſſeſſionem nactos, occaſioni eo potiundi, non defuturos.

In Dalmatia, & Livadia Turcici Excurſus repreſſi.

EXeunte autumno Solymanus Albaniæ Baſsà non contemnenda multitudine prope Cettinam (priſcis Telurum, & Neſſum) ſe effundens, damna, quæ à Morlachis acceperat, repoſcere conabatur, ſed ab Ericio collecta undique Incolarum manu, circumventus non modica ſtrage in fugam depellitur.

Per id tempus notus Liberachus, qui Rempublicam ſe juvaturum (ut diximus) jampridem promiſerat, cum non ſit fœdifragis fidendum, ſibi delectis octo mille Turcis, ſe convertit ad Neupactum in Livadia, & aggredi eum minabatur, cujus rei pervulgatus rumor Vendramenum trium Inſularum præfectum è veſtigio concivit, ut rebellis pervicaciam armis comprimeret. Tanto Duce cum tribus armatorum millibus, Turcæ, nullis palam tentatis congreſſibus perterrefacti, ac ſi non haberent Ducem, neque robur, fugam arripiunt, ac deſerunt agros, præda, & ſanguine ſuorum fœdatos.

Ita Rempublicam decebat, Turcarum potentiam undique deprimi, ingenti gloria ſuorum Ducum, quorum ductui, ſtudio, regimini, labori, ac aſſiduitati omnia deberi, omnes veriſſimè prædicant.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google